



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

Liber CXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI. Comitia, quæ ineunte hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto Norimbergæ celebranda essent. Selegit ergo ad hanc Legationem Cardinalem Campegium, Virum virtutis merito, ac scientiæ laude conspicuum, ac inter ceteros Sacri Collegii Præsules longe præstantissimum; nam pollebat magna negotiorum experientia, rara integritate in multis occasionibus sat probata, ac præterea ingenti studio erga fidem Catholicam flagrabat, cetera pacis ac concordiae studiosissimus. Horum meritorum concursu pellectus Pontifex facile sibi persuasit, hunc Virum ad placandos Germanos de oneribus quibusdam querentes præ ceteris idoneum fore, quocirea plenam eidem agendi potestatem concessit, dummodo nec Sedis Apostolicæ auctoritatem, nec Romanæ Curiae usus in discrimen adduceret.

*Sleid. in com
lib. 4. p. 106.
Ughel. in
Ital. sacra
Pallav. Hist.
Conc. Trid.
l. 2. c. 10.
Raynald. an.
1524. n. 1.
Ulemburg. in
vit. Luther.*

§. II.

Mandata Pontificis Legato data.

*Pallav. &
Cohl loc. cit.
Flor Raym
de orig. hæ-
res. l. I.*

Libellus centum gravaminum, ut dictum est, Cheregato Nuncio remissus non fuerat, sed post illius discessum ad Adrianum Pontificem directus, ideo Clemens VII. Campegio in mandatis dederat, ut dissimularet, se scire propositiones

nes Principum nomine Adriano Præ-Sæc. XVI.
decessori oblatas, necnon responsiones A.C. 1524.
ab eodem desuper datas; præterea Pon-
tifex eidem præcepit, rem ita ageret,
perinde ac si a Lutheri proscriptione
haud ulteriora in Germania fuissent ge-
sta. Addidit etiam literas ad Electo-
rem Saxonix, in quibus eum impense
rogabat, ne Ecclesiæ Romanæ hostem
se declararet, sed potius Ecclesiæ pa-
cem in Germania procuraret. His
mandatis instructus Campegius hoc an-
no die prima Februarii Roma profectus
Bononiam in patriam suam venit, ubi
in Ecclesia Cathedrali præsentem ingenti
populi frequentia rem divinam peregit:
Ubi vero Germanix fines attigit, Ele-
ctorum ac Principum literas accepit,
quibus eum rogabant, ut iter suum ac-
celeraret, & quantum posset, advenire
festinaret.

§. III.

*Adventus Legati ad Comitium Norim-
bergensium.*

Accepto hoc nuncio Campegius pau- Cochl. l. c.
cos intra dies Norimbergam venit,
ubi obvios habuit extra urbis portam
omnes S. R. Imperii Principes, simul
cum ipso Ferdinando Archiduce; vere-
bantur enim, ne forte, si Legati Apo-
stolici

Sæcul.XVI
A.C.1524.

stolici habitu insignis urbem intraret, a circumfusa plebe, quæ ferme omnis Lutheri erroribus infecta erat, injuriis afficeretur : quapropter Campegius communi veste, qua in itinere utebatur, sine Clero, & Cruce processit, comitantibus eum cunctis Principibus usque ad hospitium suum : Clerus autem, qui ei occursum convenerat, in Ecclesia inclusus fuit, ut sic nec videre quidem illum potuerit intrantem. Ceterum Principes, qui ad comitia confluerant, erant Ludovicus Elector Palatinus, Guilielmus, & Ludovicus de Bavaria, Fridericus Comes Palatinus, Casimirus Brandenburgicus, Trevirensis, Bambergensis, Herbipolensis, Tridentinus, & Brixienfis Episcopi, præter Albertum Brandenburgicum & supremum Prussiae Magistrum. In illis Præsidis vices agebat Ferdinandus Archidux, eoquod Cæsar adhuc in Hispania hæreret.

§. IV.

Pontificis literæ unacum Legati epistola ad Electorem Saxoniam missæ.

Differebat Legatus aliquamdiu post adventum suum ad Comitata accedere; prius enim utili temporis impendio in privatis colloquiis ac salutationibus

bus congregatorum Principum mentes explorare studebat, præcipue vero illos sibi devincire conabatur, quos Sedi Apostolicæ adhucdum addictos compererat, unde impense illos rogabat, ut in præsentem rerum statum suam ei operam impenderent: Cum vero eo tempore Fridericus Saxonix Elector urbe absens esset, eidem Campegius Papæ literas transmisit; unacum alia epistola, quam die ultima Februarii ad eundem scripsit, in hunc ferme modum: permolestum mihi accidit, quod tuo alloquio frui non possim, cum maximi momenti res, quæ tibi nomine summi Pontificis communicem, haberem: nam in plurimorum ore, ac sermone est, quod novarum hæresum fautor sis, ejusmodi tamen res nec mihi nec summo Pontifici vero similis videtur, quamdiu enim tecum amicitiam, notitiamque habebam, semper in te solidam probitatem ac virtutem admirabar, præcipue in iis, quæ Ecclesiam ac Religionem Catholicam spectant: ideo hac ipsa bona de te opinione præpedior, ne ceterorum rumori aures accommodem, nec unquam a concepto meo judicio desistam, nisi contrarium ipse experiar. Equidem aliquibus abhinc annis, a quibus novi mores introducti fuere, tota Germaniæ facies commutata est, haud tamen igno-

Sæcul XVI.
A. C. 1524.

Sleid. comm.
lib. 4. p. 107.

Sæc. XVI.

A.C. 1524.

ro discrimen, quod inter Nobiles & plebem hac in re intercedit, quocirca spe fretus vivo, quod præcipue tu, cum ceteris illustrior existas, a Majorum tuorum, qui semper inviolabili obsequio Romanæ Ecclesiæ addicti erant, pietate nullo unquam tempore degeneraturus sis; nil quoque ardentius rogat Pontifex, quam ut in hisce rerum angustiis Patrum tuorum exempla secutus magis magisque virtutum merito commendatum te reddas, si vero id negligeres, timendum, ne ejusmodi novitates in Germania excitent tumultus, seditiones, & bella, quæ non minus Principibus cunctisque Imperii statibus, quam Sedi Apostolicæ, Episcopis & Ecclesiæ ruinam, exitiumque afferrent.

§. V.

Oratio Campegii Legati in Comitibus Norimbergensibus.

Pallavic. in hist. l. 2. c. 10.
Sleid. in com. l. 4. p. 108.
Cochl. de aff. Lut. p. 89. an. 1524.

Postquam Principes, urbiumque Imperialium Deputati Nuncium Apostolicum ad alloquium publicum invitabant, accessit ipse comitia, sermonem suum fat prolixum his verbis exorsus:
 „ Miror vehementer, quod tot Principes, ac Deputati tanta prudentia, ac sapientia præditi ficcis oculis conspiciant abrogari religionem, in qua enuntri

Sæcul. XVI.
A. C. 1523.

„ triti sunt, quamque æque ac bona sua
 „ a Majoribus hæreditario beneficio
 „ acceperunt; hanc, inquam, Religio-
 „ nem, in qua Patres vestri mortui sunt,
 „ nequidem unquam suspicantes, quod
 „ ejusmodi variationes, quæ a rebus
 „ spiritualibus incepere, tandem in tem-
 „ poralium bonorum ruinam desinant:
 „ Ad quid enim hæ mutationes ten-
 „ dunt, nisi ad seditionem adversus
 „ Principes, & Magistratus? Quapro-
 „ pter summus Pontifex vero, paterno-
 „ que miserationis sensu commotus
 „ haud ultra pati valet, quod Imperium
 „ sub tanto malorum pondere ingemi-
 „ scat, ac exteræ servituti exponatur,
 „ hinc præsentī huic calamitati missō
 „ protinus Nuncio Apostolico de reme-
 „ dio providere cupit. Ceterum non
 „ is est Sanctitatis suæ animus, ut vel
 „ legem hac super re det, vel accipiat,
 „ sed unice communi cum Germaniæ
 „ Principibus consilio, quid hac in re
 „ agendum, discutiatur, tantisque ma-
 „ lis, quibus eorum status inundantur,
 „ remedium præparetur; tali enim pa-
 „ cto si illorum, qui veræ Religioni ad-
 „ dicti permanebunt, rationes perci-
 „ pientur, Pontifex haud exiguum re-
 „ cipiet solatium, si vero auditi non fue-
 „ rint, saltem is calumniam eorum non
 „ incurret, qui eidem mala, quibus ta-
 „ „ men

Sæcul. XVI „ men mederi haud potuit, imputare
A.C. 1524. „ præsumerent; non enim Sanctitas
 „ sua privatum quærit commodum, sed
 „ eo duntaxat fine me huc Legatum
 „ decrevit, ut Principes levamen acci-
 „ perent in suis calamitatibus, a quibus
 „ penitus opprimentur, nisi præsto suc-
 „ curratur.

§. VI.

Duo hujus sermonis argumenta, nimirum Religio, & bellum contra Turcas.

Steidan. l. c. Denique Legatus ad rei summam propius accedens agebat. Duo sunt, quæ mihi in mandatis dedit Pontifex, ut nimirum Religionis causam tuear, & belli contra Turcas gerendi necessitatem ostendam. Circa primum Legatus repetiit, quæ paulo ante dixerat, inquiens: mirum mihi supra modum videtur, quod tanti Principes novam doctrinæ mutationem fieri patiantur, sectamque tolerant, quæ ritus, ac veræ Ecclesiæ exercitia abrogat; cujus innovationis exitum plane ignoro, id tamen mihi persuasum est, certocertius ni promptum adhibeatur remedium, fore, ut ob rationes jam nuper a me propositas nil nisi tumultus ac seditiones sequantur: Bellum vero adversus Turcas,

P. 107.

Cochl l cit.

Raynald. an.

1524. n. 6.

cas, quod attinet, fateor equidem pecunias eo fine collectas ad alios usus fuisse impensas, nec propterea tamen auxilium est subtrahendum Regno in extremis angustiis luctanti, ac jamjam ad illud fatale tempus redacto, ubi Hungariæ Turcarum jugum proxime impendet, nisi præsto suppetiæ ferantur: Jam enim Solimanus Rhodum Insulam suo subjecit imperio, opitulante Principum socordia, qui Equitibus opem ferre neglexerunt. Hæc dicta quidam Episcopus ex Ordine Fratrum Minorum, qui Legatum comitabatur, iisdem omnino rationibus, ac iisdem ferme verbis confirmabat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1524

§. VII.

Principum responsio ad Legati Orationem.

Principes, postquam ob Papæ benevolentiam, ac ob magnum tranquillitatis Imperio reddendæ studium Legato gratias egissent, his verbis responderunt; „perspeximus equidem mala, quæ ex mutato religionis statu in Germania nobis impendent; unde periculo probe cognito jam anno priori Adriani Papæ felicis recordationis Legatum plene instruximus de mediis, quibus dissensionum fomes imponitur, „ste-

Steid. in com.

l. 4. p. 109.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524

„ sterum auferri valeat, hancque in rem
„ literas Romam misimus, quæ abs o-
„ mni dubio ad Clementis VII. manus
„ pervenerunt, si itaque Papa tibi ut-
„ pote Legato suo hac super re man-
„ datum dedit, de ejus mente certio-
„ res nos reddere velis precamur, ut
„ & nos, quæ agenda sint, decernere
„ possimus: Bellum vero adversus Tur-
„ cas negotium est, quod jam dudum
„ nostram sollicitudinem occupatam te-
„ nuit, illius tamen executio non solum
„ concernit Imperium, sed cunctos e-
„ tiam Principes Christianos, nisi ergo
„ illi facta inter se pace adversus Infi-
„ deles suas conjungant vires, soli Ger-
„ mani totam belli molem sustinendo
„ impares sunt; equidem minime nos
„ latet horribilis Turcarum apparatus,
„ quorsum vero tendat, provide expe-
„ ctandum censemus. „ His dictis scri-
„ ptum *de centum graviminibus* Legato tra-
„ debatur, ut ea inspiceret, ac sedulo ex-
„ aminaret.

§. VIII.

*Responsum Legati ad Principum ser-
monem.*

Slidau. l. c.
p. 109. & 110 Legatus scriptum fugitivo percurrens
oculo reposuit: „ Haud perspectum
„ habeo, Principes Illustrissimi, a vobis
„ media

Sæcul. XVI.
A. C. 1524.

„ media pro componendis fidei contro-
 „ versis aut fuisse proposita, aut San-
 „ ctitati suæ vel Cardinalibus trans-
 „ missa; id unice mihi exploratum est,
 „ quod summus Pontifex erga vos pro-
 „ pensum foveat animum, ac optima
 „ pacis meditetur consilia, hancque ob
 „ rem mihi plenam exequendi dedit
 „ potestatem, quicquid ad restaurandam
 „ pacem, animosque conciliandos ne-
 „ cessarium fore videbitur: vestrarum
 „ vero partium est, ad id viam aliis a-
 „ perire; vobis enim præ ceteris me-
 „ lius cognita est indoles, geniumque
 „ eorum, quibuscum res agitur; nec
 „ minus vobis consentientibus (ut om-
 „ nibus manifestum est) Cæsar in Wor-
 „ matiensibus Comitibus edictum pro-
 „ mulgavit, illudque anno priori inno-
 „ vatum, ut etiam effectui daretur, o-
 „ mnes consensere Principes. Haud
 „ diffiteor, illud a nonnullis fuisse ob-
 „ servatum, a plurimis tamen flocci
 „ habitum, qua ex causa conjicere
 „ haud valeo; si vero hac in re meam
 „ exposcitis sententiam, ediffero, ante
 „ omnia deliberandum, quibus mediis
 „ universalis hujus edicti executio ur-
 „ geri valeat. Non equidem, ut dis-
 „ sensionem ullam concitem, vel prout
 „ nonnulli suspicabantur. imo & spar-
 „ gere audebant, ut jurgiorum flam-
 „ mas

Sæcul. XVI.

A.C. 1524.

„ mas in Germania accendam, huc ad-
 „ veni, nil nisi pacem quæro, id unum
 „ peto, ut illi, qui sese ab Ecclesia se-
 „ pararunt, rursus ad Matris suæ gre-
 „ mium redeant, atque Conciliorum
 „ Decreta, nec non Cæsaris edicta ob-
 „ servent.

„ Libellum vero *de centum gravami-*
 „ *nibus*, prosequatur Legatus, editum,
 „ ac Papæ traditum fuisse, quamvis i-
 „ gnorem, id tamen probe scio, priva-
 „ tis quibusdam viris tria illius exem-
 „ plaria Romam fuisse transmissa, atque
 „ eorum unum Papa, Cardinales, imo
 „ & ego vidimus; ast nec Pontifici nec
 „ Sacro Collegio unquam persuasum
 „ esse potuit, ejusmodi articulos Prin-
 „ cipum in comitiis congregatorum
 „ jussu fuisse conceptos, sed potius a
 „ quodam occulto Romanæ Sedis ho-
 „ ste fabricatos. Enimvero quicquam
 „ speciatim circa hunc libellum decer-
 „ nere, nihil mihi a Papa in mandatis
 „ datum, nihilominus sufficientem de
 „ eo agendi potestatem accepi, quapro-
 „ pter vobis haud celare valeo, in hisce
 „ centum articulis plura postulari, quæ
 „ legitimæ summi Pontificis auctorita-
 „ ti derogant, imo & hæreses sapiunt,
 „ proinde de his agere mihi animus &
 „ potestas deest, lubens vero examinan-
 „ da suscipio ea, quæ summi Pontificis
 „ auctori-

„ auctoritati non adversantur, atque æ-
 „ quitati innituntur; si vero circa Pon-
 „ tificem adhuc quiquam discutiendum
 „ supersit, liberum vobis erit id etiam,
 „ verbis tamen modestioribus propo-
 „ nere; merito enim damnanda est illa
 „ libertas, qua ejusmodi gravamina ty-
 „ pis edita ac publicata fuere.

Denique Legatus responso suo fi-
 nem imposuit agens de bello adversus
 Turcas; „ horum, aiebat, infidelium po-
 „ tentiam, magnumque armorum ap-
 „ paratum haud ignorat summus Pon-
 „ tifex, nec tamen illum latet, eorum
 „ vires minime frangi posse, nisi inter
 „ Christianos Principes pax, ac concor-
 „ dia restituatur, cujus negotii sollicitu-
 „ do Papæ animum unice occupatum
 „ tenet, huncque in finem pro hujus
 „ belli sumptibus ingentem pecunia-
 „ rum vim paratam habet, ac majorem
 „ adhuc summam colligere meditatur;
 „ attamen vestra quoque subsidia con-
 „ ferre debetis, præcipue in præsentis
 „ rerum vicissitudine, ubi juvenis Hun-
 „ garix Rex vobis foedere ac sanguine
 „ junctus summopere vestro auxilio in-
 „ diget. Ea de re Papa vix inito Pon-
 „ tificatu nihil non egit, ut Cæsar, An-
 „ gliæ, ac Franciæ Reges restituta inter
 „ eos pace arma sua in Turcas conver-
 „ terent; Verbo, Pontificem habetis
 „ piura

Sæcul. XVI.
A. C. 1524.

Steid. l. 6.
p. 111.
Pallav. hist.
l. 2 c. 10 p. 180

Carissimi
p. 20.

Hist. Eccles. Tom. XXXIV. D d

Sæcul. XVI „ pium patrem Pastoremque pro bono
A.C. 1524. „ Ecclesiæ studiosissimum, si vero oves
 „ Pastoris sui vocem audire recusave-
 „ rint, nil ultro illi superest, quam ut
 „ cuncta divinæ Providentiæ patienti
 „ animo committat. „

§. IX.

*Quidam cum Cardinale Legato de-
 liberaturi, in Comitibus
 Deputati.*

*Cochlæus hoc
 anno p. 90.*

Adjunxit suam quoque operam Cardi-
 nali Legato Joannes Hannardus in-
 ter Cæsaris Secretarios primus, qui
 nomine Imperatoris edictum Worma-
 tiense executioni dandum deposcebat,
 cui responderunt Principes, se nihil in-
 tentatum relicturos, ut Cæsari satisfac-
 eret, ejusque Edictum, quantum ipsi fa-
 cere possent, effectui demandaretur. Ce-
 terum hunc Legatum dissimulatione
 usum fuisse, facile deprehendebant; nam
 ea, quæ Adrianus in nupero conventu
 Congregatis significari fecerat, Papam
 ac Cardinales ignorasse vero haud si-
 mile videtur, nihilominus Principes, ut
 Germaniæ pacem redderent, quosdam
 nominarunt Deputatos, qui cum Car-
 dinale Campegio conferrent. Verum
 cunctis hisce colloquiis exiguus respon-
 dit successus: quippe Campegius haud
 plura

plura pollicitus est, quam sua opera Cle-
 ricorum mores in Germania ad pristi-
 nam disciplinam adeo revocandos, ut
 inde Principum votis plene satisfactum
 foret, silentio autem præteriit Romanæ
 Curiae abusus, totumque negotium ad
 Papam remisit; huic enim soli, aiebat,
 competit auctoritas jus sibimetipsi di-
 cendi. Enimvero hac in re promissi
 sui limites non excessit; quippe adhibito
 quorundam Præsulorum, ac Germaniæ
 Theologorum consilio nonnulla condi-
 dit statuta, in quibus de prætenfis cen-
 tum Germanicæ Nationis oneribus nul-
 lam ingessit mentionem, non nullis ta-
 men abusus, de quibus potissimum
 Principes querebantur, remedium attu-
 lit. Hæc igitur Statuta in Comitiis
 exposuit, affirmans, quod ea ad reddend-
 dam Imperio pristinam Religionis puri-
 tatem abunde sufficerent: Verum cen-
 sebant Principes, quod hæc decreta mi-
 nus essent rigida, malumque non modo
 foverent, sed etiam Curiae Romanæ
 potestatem, atque Episcoporum auctori-
 tatem non sine Principum sæcularium
 præjudicio augerent, ut proin ad gra-
 viores oppressiones viam aperirent. A-
 liunde nonnulli hanc disciplinæ restau-
 rationem spernebant tanquam Roma-
 næ Curiae artificium, quo Germanos fa-
 scinare, ac sensim sine sensu acerbiori ser-
 vituti

sæcul. XVI.

A.C. 1524.

Sæcul. XVI
A.C. 1524.

vituti irretire moliretur: quapropter
spretis omnibus, quas Legatus interpo-
nebat, ardentissimis precibus, ut in Co-
mitiis sua reciperentur statuta, id impe-
trare haud valuit, ut vero & ipse vi-
cem redderet, cuncta a Principibus pro-
posita rejecit.

Præterea in Comitibus aliud move-
batur negotium, cujus exitus novam
Legato molestiam creabat. Agebatur
ibi de quadam lite inter Episcopum Ar-
gentinensem, & nonnullos urbis suæ Pres-
byteros, qui juxta novi Evangelii per-
versitatem uxores ducere, sibi licitum
arbitrabantur: Cum vero ejusmodi sce-
lere gravem populo offensionem præbe-
rent, Episcopus reos in jus vocari jussit,
ut criminis sui rationem redderent, &
tanquam legis Ecclesiasticæ, Sanctorum
Patrum, Pontificum & Imperii trans-
gressores punirentur: Hi tamen adeo
non jussis parebant, ut etiam Episcopi
jurisdictionem declinaturi ad Senatum
provocarent, polliciti, se quæcunque su-
bituros supplicia, si in expressum quod-
dam præceptum peccasse convinceren-
tur. Senatus ergo Lutheranae hæresi
addictus Episcopum comparere jussit:
hujus tamen causæ discussio differeba-
tur usque ad comitia: At Episcopus
hanc moram juribus suis noxiam ratus,
Epistolam gravibus conceptam verbis
ad

scul. XVI.
A.C. 1524.

ad Legatum perscripsit, exponens, per summam iustitiam hoc pacto Episcopalis jurisdictionis exercitium præpediri; ut vero de totius causæ summa Legatus accuratius edoceret, Episcopus Thomam Murnerum Franciscanum ad Cardinalem ablegabat, qui eidem Sacerdotum petulantiam, & Senatus temeritatem exposuit. Igitur negotium in comitiis proponitur, cum vero Presbyterorum facinus Sacris Canonibus sole meridiano clarius adversaretur, Legatus causam Episcopo omnino adjudicandam censebat. Verum tam acriter obstrepebant Argentinensis Senatus Deputati, ut rei decisionem penitus præpedirent, causati, quod equidem Senatus suo præsidio Presbyterorum, qui cum gravi offensione concubinis suis assuescerent, facinori favere non voluerit, nec etiam Episcopi jurisdictionem impedierit, sed eidem duntaxat significaverit, Senatum Episcopo adversus honeste Sacerdotes ad sententiæ suæ executionem auxilio futurum, quamprimum Presbyteros a connubii libertate jure divino arceri docuerit; de cetero agebant illi Legati, a Senatu, eoquod accusatis Sacerdotibus ejus præsidium implorantibus adstitisset, nihil exinde attentatum, quod pactis utrinque conventis non ad amissim consonum foret,

D d 3 cum

Sæcul. XVI. cum sancitum esset, ut Ecclesiastici cu-
A.C. 1524 jusdam criminis rei coram Magistratu
 sisterentur, vi igitur hujus pacti ab ac-
 cusatis Sacerdotibus Episcopi tribunal
 fuisse declinatum. Principes in comi-
 tiis congregati harum rationum imbe-
 cillitatem manibus palpabant, nihilo-
 minus ut Legatum acrius vexarent, Lu-
 theranæ hæresi aliquantulum favere stu-
 debant: Vicissim vero Legatus conven-
 tus postulatis deferre constanter recu-
 fabat, unde comitia, nulla ferme re de-
 cisa, die decima octava Aprilis fuere
 soluta.

§. X.

Norimbergensis Conventus edictum.

Cochl. l. cit.
Steidan. ut
supr. p. 116.

Eodem die Conventus promulgavit de-
 cretum, in quo hæc exponebantur.
 I. Summus Pontifex consentiente item
 Cæsare, quam citissime posset, liberum
 Concilium in quadam Germaniæ urbe
 ad id commoda indicat, ut ibidem con-
 troversæ a Lutheri hæresi in quibus-
 dam fidei articulis suscitatae radicitus
 tollantur. II. Interim alia fiant comi-
 tia die undecima Novembris in festo S.
 Martini celebranda, propter quæ unus-
 quisque Principum doctis in sua ditio-
 ne Viris id negotii committat, ut ex Lu-
 theri libris, quæ admittenda, quæve re-
 jicien-

ficienda, seligant; hæc vero postmodum **Sæcul. XVI.**
 in comitiis discutiantur, ut ea quæ us- **A.C. 1524.**
 que ad Synodi decisionem credenda, at-
 que in usum deducenda sint, ibidem de-
 clarari valeant. III. Magistratus inte-
 rea omni studio procurent, ut Evange-
 lium juxta doctrinam, sensum & inter-
 pretationem Theologorum, qui ab Ec-
 clesia approbati sunt, a Verbi divini Præ-
 conibus annuntietur. IV. Suppriman-
 tur omnes libelli famosi contra Curiam
 Romanam editi, necnon omnes picturæ
 atque imagines in Pontificis, & Episco-
 porum contumeliam factæ. V. Aga-
 tur in his comitiis *de centum gravamini-*
bus contra Curiam Romanam, & Ger-
 manicæ Clerum propositis, ut ibidem de-
 cerneretur, ad quam denique tolerabi-
 lem moderationem redigi possent. VI.
 Denique ut Sacræ suæ Cæsareæ Maje-
 stati obtemperetur, cuncti Principes ad-
 moneantur, ut Edictum Wormatiense
 omni studio, & efficacia exequerentur;
 præterea additum est, in proximis co-
 mitiis deliberandum fore de Turcarum
 bello, ac supplicis Hungariæ Regi mit-
 tendis.

§. XI.

*Plurimorum oppositio adversus, hoc
 edictum.*

Vix unquam quoddam Decretum plu- *Sleid. l. 6.*
 rium^o. 120.

D d 4

Sæc. XVI. rium contradictioni obnoxium erat:
 A.C. 1524. nam querebantur de illo aperte Lega-
 tus, atque summus Pontifex, ipse etiam
 Lutherus illud, quamvis causæ suæ fa-
 vere videretur, omnino iniquum esse
 censebat, quapropter libero furens ca-
 lamo contra Principes libellum edidit,
 in quo ostendere conabatur, quod edicti
 hujus Architecti sibimetipsis palam con-
 tradicant, eorumque doctrina una alte-
 ram evertat. *Præcipitur enim, inquit*
Lutherus, in Conventu Norimbergensi, ut
mecum tanquam cum Hæretico agatur jux-
ta Wormatiense edictum, contrarium nihilo-
minus mandatum recipiatur, ut in futuro
Spirensi conventu primum tractetur, quid-
nam boni & mali sit in doctrina mea; si au-
tem mea doctrina primum examinari debet,
cur me tanquam Hæreticum condemnant?

§. XII.

Conventus Ratisbonensis ad acceptan-
dam Cleri emendationem a
Legato habitus.

Pallav. p. 184 Legatus ad singula edicti capita re-
Cochl. p. 97. spondens, ostendit, per summum ne-
Rayn. n. 23. fas a profanis sacra attrectari, dum fi-
 dei dogmata atque doctrinas in contro-
 versiam adduci ac decidi juberent: Cum
 vero oleum & operam se perdere cer-
 neret, Ferdinandum Archiducem Cæ-
 laris

faris fratrem, ambos Bavariae Duces, Sæcul. XVI:
A.C. 1524.
 Archiepiscopum Salisburgensem, Tri-
 dentinum & Ratisbonensem Episcopos,
 atque aliorum novem Præfulum Depu-
 tatos, quos omnes Curiae Romanæ ma-
 gis addictos censebat, accessit, eisque
 auctor extitit, ut juncta cum eo opera
 alium Conventum in quodam Germa-
 niæ loco celebrarent. Seligebatur er-
 go urbs Ratisbonensis, in qua omnes
 die sexta Julii convenere, ac decretum
 ediderunt, quo ante omnia præceptum,
 ut Wormatiense edictum unacum arti-
 culis, quos ibidem sanxerunt, execu-
 tioni daretur.

§. XIII.

*Articuli in Ratisbonensi conventu
conditi.*

Postera die septima Julii Cardinalis Raynal. n. 26
Labb. Coll. 1
Conc. to. 14.
p. 412. Et seq.
 Legatus emendationem Cleri pro-
 mulgavit, qua ejus decreta unanimi
 consensu approbata fuere, ac quivis eo-
 rum observantiam in sua Diœcesi vel di-
 ctione toto studio urgere pollicebatur.
 Instruebantur illa ad normam Synodica-
 rum Constitutionum, quibus etiam præ-
 fatio addebatur, in qua Legatus ita dis-
 serebat, *Censuimus non parum momenti fore
 extirpandæ hæreticorum Lutheranorum,
 eorumque sequacium sectæ, ut Clerici ad ho-*

Sæcul. XVI. A. C. 1524. *ne flatem vitæ debita censura reducti, abusus-
que, qui Laicos male offendunt, sublatis fue-
rint. Itaque habitis maturis deliberationi-
bus, & piis consiliis cum Ferdinando, aliis-
que Principibus ac Prælatiſ Ratiſbonæ con-
gregatio inſcriptos ſalutares aliquos ne-
ceſſariæ reformationis modos edere neces-
ſarium duximus. Quocirca auctoritate A-
poſtolica haſ ordinationes ab omnibus Ar-
chiepiſcopiſ, Epiſcopiſ, aliſque Prælatiſ,
Preſbyteriſ ſæculariſ æque ac Regulari-
buſ inſolabiliter obſervari ac publicari vo-
lumus: non obſtantibuſ quibuſcunque privi-
legiſ, aut exemptionibuſ contrariſ. Fini-
ta hac præfatione Legatuſ ad ipſoſ ar-
ticuloſ deſcendit, quorum principaleſ
ſunt. I. Convivia Preſbyterorum, quæ in
exequiſ publice in taberniſ hucſque exhi-
bita ſunt, proſuſ abrogentur. II. Dein-
ceps quilibet Confeſſor abſolvere poterit Lai-
coſ contritoſ & confeſſoſ a quibuſcunque
peccatiſ occultiſ, quæ Ordinarii ſuæ aucto-
ritati reſervaverunt, exceptiſ duntaxat ho-
micidiſ, hæreticiſ, & excommunicatiſ ad E-
piſcopum, vel ejuſ Vicarium mittendiſ. III.
Nulli liceat ſine auctoritate Epiſcopi Eccleſiæ
& plebi ſuæ Vicarioſ ſufficere. IV. Cura Ec-
cleſiarum non concedatur Religionem quam-
cunque profeſſiſ, in Eccleſiſ autem, quæ eo-
rum monaſteriſ unitæ ſunt, Vicarii conſti-
tuantur. V. In aliena Diceceſi ordinati
ſuarum Ordinationum literaſ, & tituloſ o-
ſtendant.*

stendant, nec prius admittantur, quam ab E-
 piscopo vel Vicario fuerint admissi. VI. A. C. 1524.

Nullus ad prædicandum Indulgentias vel ad
 subsidia colligenda se ingerat, nisi prius lite-
 ræ approbationis & admissionis Ordinario-
 rum ab eo prolatae fuerint. VII. Sacer-
 dotes concubinariii canonum pœnis in ordinem
 redigantur. VIII. Religiosi ac Sacerdo-
 tes, qui uxores ducunt, capiantur debite pu-
 niendi, negligentia autem Ordinariorum
 comperta, iudices Ecclesiastici a Sede Apo-
 stolica deputentur, qui reos meritis pœnis
 afficiant. IX. Sortilegi, divinaculi, incan-
 tatoresque Clerici ordine amoveantur, inque
 monasterium relegentur. X. Episcoporum
 in Pontificalibus Vicarii in consecrandis
 Ecclesiis, atque Altaribus nihil omnino exci-
 gant, excepta procuratione. XI. Festorum
 multitudo ita restringatur, ut de cetero Do-
 minica dies, festum Nativitatis Christi, SS.
 Stephani, Joannis, & Innocentium, Circum-
 cisionis, Epiphaniæ, Paschæ cum feria se-
 cunda, & tertia duntaxat, Ascensionis, Geor-
 gii, Pentecostes cum feria secunda & tertia,
 Corporis Christi, & præsertim quatuor
 Beatæ Virginis, Purificationis, Annuntia-
 tionis, Assumptionis, & Nativitatis, Nata-
 litia Apostolorum, Joannis Baptistæ, Ma-
 riæ Magdalencæ, Laurentii, Dedicacionis,
 Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini,
 Nicolai, & Catharinæ, & Patronorum Ec-
 clesiarum dies celebres & festi habeantur.

XII. Non

Sæcul. XVI
A. C. 1524.

XII. Non liceat Procuratoribus fabricarum Ecclesiæ quicquam de pecuniis ad fabricam provenientius dispensare sine Rectoris scitu. **XIII.** Matrimonia non nisi in conspectu Ecclesiæ poterunt solemnizari. **XIV.** Non contrahantur tota Quadragesima, ultima hebdomada Adventus, Festis Paschæ, Pentecostes, & Nativitatis Dominicæ cum octavis, & diebus Rogationum. **XV.** Propter cædem Clericorum persona tantum, non autem locus interdicitur. **XVI.** Imposterum Episcopi Clericis ab intestato decedentibus in bonis eorum non succedant. **XVII.** Episcopi nullas pensiones, decimas aut medios fructus exigant de beneficiis, quæ unius sustentationi vix sufficiunt. **XVIII.** Beneficarii, qui horas negligunt Canonicas, fructibus priventur. **XIX.** Singulo triennio Provinciale Concilium celebretur.

Præterea statutum, ut sepultura Ecclesiastica privetur, quisquis non confessus, nec Eucharisticæ communionem Paschali tempore sumpserit; item præcipitur, ut Blasphemi plectantur, & contra Simoniacæ labem Patrum Sæditiones observentur. Dein prohibetur, ne Clerici Laici de sacrosancta fide temere, præcipue inter pocula, & convivia disceptent, sed omni modestia utantur, & peculiariter operam impendant, novo veterique testamento legendo, ac denique quilibet Episcopus diligenter provideat, ut vicarii si-

ve pro nutu positi competentem vivendi por-
tionem assequantur; Episcopi vero singulo
saltem anno Synodum Diocesanam celebrent,
Et decreta ibidem statuenda observari curent.
Postremus hic articulus potissimum Me-
tropolitans concernebat, quibus injun-
ctum, ut in hisce Synodis & Conciliis Pro-
vincialibus diligenter attendant, si statuta
præsents Conventus Ratisbonensis observen-
tur, invocato ad hoc, si opus fuerit, bra-
chio seculari.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

§. XIV.

Hi Articuli minus benigne accepti.

Harum sanctionum publicatio Princi-
pes æque ac Episcopos offendebat,
nec illi assensu suo in comitiis accedere
volebant: ægre enim ferebant, statu-
tum quoddam pro univèrsa Germania
a Cardinale, tamque paucis Principi-
bus condi, præcipue, postquam illum
admonuissent, ex ejusmodi decretis nil
boni sperandum. Præterea ipsis permo-
lestum accidit, quod tam exiguus Præ-
sulum ac Principum numerus invitis ce-
teris omnibus totam Nationem obligan-
di auctoritatem sibi arrogare velit. Non
deerant etiam, qui dicebant, quod Le-
gatus rebus nullius ferme momenti in-
stituerit, maximi vero ponderis res, qua-
rum emendatio potissimum necessaria fo-
ret,

ret,

Sæcul. XVI
A.C. 1524

ret, silentio prefferit, cum ejusmodi onera non a Clericis inferioris Ordinis, sed ab Episcopis per eorum usurpationes, & vel maxime a Curia Romana per assiduas illius oppressiones Germania patiatur, hasce vero corruptelas, quæ haud ultra tolerandæ forent, a Legato agebant, tam leviter fuisse perstrictas, perinde acsi Præsules nunc magis, quam in primitiva Ecclesia disciplinæ studiofi forent; insuper eidem objiciebant, quod cuncta, quæ in suis articulis emendanda censuit, ab eo nonnisi pro levibus abusibus habita fuerint, ac proin cetera omnia tacite comprobans aliunde nonnisi hosce abusus indicaverit, nullatenus vero remedium oppido necessarium eisdem adhibere fuerit intentus. Quapropter hi Principes non sine indignatione conventum suum Norimbergæ solverunt.

§. XV.

Norimbergense decretum a Cæsare reprobatum.

Non minus Cæsari displicuit decretum, quod ceteri Principes in comitiis Norimbergensibus promulgarunt; vix enim illud perlegerat, cum gravissimis literis ad Principes datis indignationem suam maximam testaretur; verebatur enim, ne Papa ei vel ex omni, vel saltem

Sæcul. XVI.
A. C. 1524.

tem ex aliqua parte indignos illos imputaret modos, quibus Sedis Apostolicæ Legatus in hisce comitiis habebatur, proin ab eo vindictam sumeret, eo facilius, quo tum Gallorum ac Hispanorum viribus in Italia ferme paribus, ab ejus arbitrio dependeret, illam, quæ magis Sedi Apostolicæ faveret, altera superiorem reddere. Itaque Cæsar ex urbe Burgenfi die septima Julii (*) ad Germaniæ Principes epistolam perscripsit, in qua vehementer de temeritate Principum questus inquebat, *Cum nos in proximis Wormaticæ habitis comitiis unanimi omnium consensu Lutheranam doctrinam interdici, omnesque Scripturas librosque Luthericos deleri, ac comburi curavimus, vos in novissimis Norimbergensibus comitiis duntaxat propter injuriosos & convitiosos Lutheri libellos, indecorasque impressiones & picturas ordinationem proposuistis, quasi nos in prioribus nostris edictis aliquid novi, aut iniqui proposuissemus.* Acrius in eos invehebatur Cæsar ob decretum de Concilio in Germania celebrando: *Quod autem agebat vos & Status pariter tanquam pro vobis ipsis decrevistis in nostra, & Imperii urbe Spira generalem Germanicæ Nationis conventum celebrare, atque in eo vias*
pro-

(*) Ceteri omnes Scriptores hanc epistolam die decima quinta Julii datam referunt.

Sæcul. XVI. proponere, qualiter cum cultu Divino aliis-
A.C. 1524. que Ecclesiasticis Ordinationibus agendum sit
 usque ad futurum Concilium, ut interea pe-
 riti, quicquid fidei non consonum, sed con-
 trarium videatur, pro viribus determinent,
 talia nos neque possumus, neque volumus ullo
 pacto permittere, sed sicut nos tanquam de-
 fensorem Sedis Apostolicæ imprimis decet,
 ac convenit maxime præcavere, ne cum ma-
 xima injuria, contumelia, ac dedecore Ca-
 tholicæ Ecclesiæ tale quid Germanica Natio
 sola præsumeret, quod omnes alii Principes
 Christiani simul cum ipso Papa neque incipe-
 re, neque intendere auderent: Cum igitur
 nos ex supra memoratis, aliisque rationi-
 bus ejusmodi vestram actionem velut iniquam
 cognoscamus, comperiamusque, nisi in tem-
 pore prospiceremus, quantum damni ac se-
 ditionum in universa Christianitate inde sequi
 possit, petimus a vobis & injungimus, sub
 crimine læsæ Majestatis, sub nostro Imperii
 Banno, sub privatione omnium gratiarum
 ac privilegiorum, ad hæc sub pœnis in
 nostro Imperiali Edicto propter hoc Wor-
 maticæ edito contentis serio mandantes, ut
 vos ab illo nostro Edicto nulla via disceda-
 tis, nihilque contra illud agatis, sed quan-
 tum possibile, omnino observetis: Præser-
 tim vero in prædicta Statuum intentione de
 Concilio, aliisque declarationibus, quæ Ca-
 tholicam fidem concernunt, nequid ullo pa-
 cto absque Apostolicæ Sedis, nostraque, aut

Gene-

*Generalis Concilii auctoritate agatis, sed Sæcul. XVI.
id totum in proximum Generale Concilium, A.C. 1524.
quod Papæ auctoritate & Consensu indici
debet, ac indicetur, differatis.*

§. XVI.

Conventus Spirensis.

Cæsarei hujus diplomatis severitas *Cochl. de act. Lutheri ann. 1524. p. 94.*
Principum non paucos vehementer
terrebat, quapropter licet Norimbergæ
generalia indicerentur comitia, nihilo-
minus nonnisi particularis, ac minus
ordinatus habebatur conventus; inter-
erant enim nonnulli duntaxat Principes,
ac Imperii Status, qui nullo singulari
decreto edito solum statuebant, se us-
que ad celebrationem Concilii prout ip-
sis bene visum fuerit, in hoc negotio pro-
cessuros, ita tamen, ut eorum agendi
ratio minime reprehendi valeat,
Norimbergense tamen decretum in sui
favorem interpretabantur, ac cum fer-
me omnes ibidem congregati Luthera-
na hæresi infecti essent, decernebant,
*ut liberæ ac Imperiales civitates, eæ præser-
tim, quæ penes se viros sacri Codicis peritos
haberent, ipsis summa diligentia committant,
ut super articulis fidei, & iis præcipue, qui
ad malum intellectum disputabiles sunt, fi-
deliter ac debite perpendant, suamque con-
sultationem in scriptis offerant Senatui, qui*
Hist. Eccles. Tom. XXXIV. E e eam

Sæcul. XVI. *eam suis Oratoribus ad futurum conventum*
 A.C. 1524. *Imperialem destinandis tradat, ut omnibus*
omnium Civitatum consultationibus in unum
collatis, una ex omnibus fiat doctrina, qua
ibi utantur. Verum ne hoc quidem de-
cretum majori cura ac Wormatiense E-
dictum fuit executioni demandatum.

§. XVII.

Lutheri hæresis in Sueciam a Gusta-
vo introducta.

Lutherus has diffensiones in rem suam
 vertebat, suorumque Sectatorum
 numerum adeo augebat, ut ejus hære-
 sis brevi a superiore Saxonia usque ad
 Mare Balticum sese extenderet. Intro-
 duxit eam hoc anno in omnes suas di-
 tiones Gustavus novus Suecorum Rex,
 ac privilegio, quod Lutherus sacrilega
 auctoritate Principibus concesserat, u-
 fus, Ecclesiarum bona diripuit, nec-
 non Senatui Stockholmæ coacto pro-
 posuit, quod sibi ex tribus decimarum
 partibus duas pro alendis militibus,
 omnium vero Ecclesiarum vasa argen-
 tea ad solvenda debita vendicare velit.
 Senatu Regis petitioni annuente mox
 edictum promulgatur, ejusque executio
 per omnes Provincias deputatis ad id
 nominatis imponitur. Ea res vehemen-
 ter displicuit Clero atque Religiosis, qui
 etiam.

etiam seditionem concitare moliebantur; capit. XVI. A.C. 1524.
 verum Gustavus edicto sanxit, ne Monachi plusquam bina vice per annum suo exirent Monasterio, atque Superioribus alienigenis officio motis alios, qui natione Sueci erant, subrogavit; præterea Episcopis, ut arces, quæ eorum Imperio parebant, Regi cederent, suisque copiis missionem facerent, præcepit, eosque non modo a Senatu exclusit, sed etiam multas, & pecunias ex bonorum publicatione perceptas Episcopali ærario inferre prohibuit, simulque vasa argentea, ac superfluas campanas auferri iussit, concessitque, ut Nobiles bona, quæ eorum Majores Ecclesiasticis oppignorarunt, soluto pignoris pretio repetere valerent. Hoc edictum ab ipsis quoque Episcopis fuit subscriptum, excepto Upsalensi Archiepiscopo, quem Rex in Poloniam miserat. Hic vero inde Romam venit, ut Clementem Papam de fidei discrimine, in quo Sueciæ Regnum luctaretur, edoceret, simulque ab eo auxilium impetraret: verum ejus preces in irritum ceciderunt.

§. XVIII.

Continuata dissidia inter Lutherum & Carolstadium.

[nterea novis indies incrementis dissidia

Sæcul. XVI. dia Lutherum inter & Carolstadium
 A.C. 1524. fervebant, adeo, ut hic ineunte Anno
 Christi millesimo quingentesimo vigesi-
 mo quarto Wittembergæ abire, ac sese
 Orlamundam Turringiae oppidum, quod
 Saxoniae Electoris erat, recipere com-
 pelleretur. Selectus ibidem erat a Ma-
 gistratu & populo in Parochum, suis-
 que sermonibus, cum aliunde tota jam-
 iam Germania dissensionibus flagraret,
 novos suscitavit tumultus, & ad Saxo-
 niae Electorem delatus fuit, quod Ana-
 baptistis, ac rusticorum, qui adversus
 Principes suos arma sumpserant, sedi-
 tioni faveret, quam illi objecta Lutheri
 doctrina honestabant, caussati, se, quæ
 ab eo edocti fuissent, in opus deducere.
 Enimvero liber, quem de libertate Chri-
 stiana vulgaverat, ad concitandam hanc
 rebellionem haud parum conferebat;
 summa enim petulantia in illo contra
 Leges ac Legislatores tumultuabatur,
 quinimo quamvis se Magistratus, Le-
 gesque civiles excipere simulasset, ni-
 hilominus promiscue de Principibus &
 Magistratibus æque ac de Pontificibus,
 & Episcopis loquebatur; quippe ex eo,
 quod Christianos hominum nulli esse
 subjectos generatim assereret, juxta ne-
 cessariam verborum interpretationem
 nil aliud elici poterat, nisi quod omnem
 subjectionem excutiendi animum in po-
 pulis

Sæcul. XVI.

A.C. 1524.

*Bossuet va-
riat tom. 1.*

l. 2. p. 57.

*Zwingl. ep.
ad Matth.**Albert. I. &**l. de vera &**falsa Relig.**Hospinian. 2.**part. fol. 132.**Cochl. p. 105.**Pallav. hist.*

l. 2. c. 12.

pulis foveat, eorumque Ducibus ad periculosa omnino consilia viam aperiat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

§. XIX.

*Capitalis inimicitia inter utrumque
Hæresiarcham.*

Tumultuantibus rusticis sese junxerunt Anabaptistæ, ac Sacrilega prorsus agitarunt consilia de suscitanda manifesta seditione, quæ etiam anno sequenti in apertas flammæ erupit. His suffragabatur Carolstadius: id saltem Lutherus ei crimini dabat, nec ulli dubium est, eum arcta cum illis amicitia junctum fuisse. Suscitabantur exinde Orlamundæ ingentes omnino tumultus, ad quos in tempore sedandos, ab Electore Saxonico missus est ipse Lutherus, qui Jenam pertransiens pro more suo adversus Carolstadium acri admodum sermone declamabat, ac suppresso quidem illius nomine assererat, quod Sacramento- rum ac Imaginum eversores Münzeri Anabaptistarum Coriphæi Spiritu regerentur. Mox Carolstadius, qui sermone intererat, e templo exiens, Lutherum adibat, eique asserti sui temeritatem graviter exprobat, palam professus, quod ipse nec cum Münzero consuetudine junctus esset, nec seditionis causa existeret, minus vero illius Au-

*Luther. t. 2.
Edit. Jen.
447.
Calixt. Jus
num. 49.
Hospinian.
Sac. part.
2. ad annum
1524. fol. 328*

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

ctorem, vel ejus consilia atque doctrinam probaret; ut vero rebellionis culpam in Lutherum retorqueret, eum sic alloquebatur: ejusmodi probrum optimo jure in te refundi potest, de cetero mihi haud toleranda videtur tua de præsentia reali opinio, eo quod iis, quæ de Sacramentis dixisti, palam advertebatur, præterea tu talia enuntiaſti, quæ potius commentitio, quam vero pro nobis Crucifixo Christo Domino convenirent, idque palam probabo, si vero erroris convincar, meam mutare sententiam, paratus ero.

§. XX.

Carolſtadius a Luthero ad edendum adversus se librum provocatus.

Hospin. l. c.
fol. 32.

Lutherus, ut adversus se calamum arriperet, Carolſtadium per summam arrogantiam provocabat, brevique accerrima utrinque disceptatio accendebatur. Lutherus insuper ex marsupio suo aureum extraxit, quem Carolſtadio daturum se promisit, si contra eum scribere auderet: „Accipe, ajebat Lutherus, hunc aureum, & quantum valet, adversus me calamum tuum accue; „Conditionem acceptat Carolſtadius, acceptumque aureum sacco suo imponit, adstantes allocutus: „Fratres „mei,

„ mei, ecce signum, ecce pignus po-
 „ testatis, quam adversus Lutherum
 „ Doctorem accepi; hujus rei testes esse
 „ velitis rogo. „ His dictis ambo dex-
 teras junxerunt mutuo polliciti, quod
 alter alteri acri pugna molestus foret.
 Præterea Lutherus poculum vini Ca-
 rolstadio propinabat, exclamans, vivat
 celebris elucubratio, quam Carolstadius
 in lucem editurus est; Carolstadius ex
 adverso propinanti respondit, totumque
 vini poculum exhausit; ita nempe pro
 more patriæ literario huic bello classi-
 cum canebatur die vigesima secunda Au-
 gusti anno millesimo quingentesimo vi-
 gesimo quarto. Ast memoratu sat dig-
 na erat Urbanitas, qua fortes hi pugi-
 les se invicem valere jubebant, *num te*
ultra, inquiebat Carolstadius ad Luthe-
 rum, *in platea sustineam, abscede, ut col-
 lum frangas, priusquam oppidum exieris.*
 Nec minus gloriosus erat Lutheri
 ingressus in urbem Orlamundanam; in-
 stigante enim Carolstadio frequenti lapi-
 dum jactu excipiebatur, ac pene ster-
 coribus obtegebatur. Ecce novum E-
 vangeliū! ecce tabernam! quæ Sa-
 cramentariorum Antesignanum partu-
 rivit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1523.

§. XXI.

Carolstadii liber adversus Lutherum.

*Ludov. La-
naterus hist.
Sacram. de
cœna Domini
an. 1524. f. 2.*

Saxoniae Elector compertis hisce tumultibus haud diu Carolstadium suis in ditionibus sustinuit, moxque eum excedere iussit, eodemque fato Martinus Rheinhardus Jenensis Præco e Saxonia ejectus est. Carolstadius vix urbe egressus datis ad Orlamundanos Cives literis graviter questus est, se violatis Christianæ charitatis legibus sollicitante Luthero nec auditum nec convictum, fuisse e Saxonia pulsum. Perlegebatur ejus epistola populo æris campani fonitu convocato; nemo tamen Carolstadii vicem dolebat, quapropter Argentinam fugiens Basileæ duos libros typis vulgavit, qui tamen utrique parti æque displicebant, eosque Tigurinus Senatus, quem doctrinæ ibidem contentæ novitas ad id commovit, in ea urbe vendere, ac distrahere prohibuit, nequicquam oblitante Zwinglio, qui hosce libros inoffenso pede percurri posse contendebat. Agebat in illis Carolstadius de præsentia reali, docebatque, quod in Eucharistia Corpus ac Sanguis Christi haud contineatur, nec particula *Hoc* in verbis consecrationis panem, quem Christus Discipulis suis distribuit, designet, sed ipsum.

summet Christum Dominum indicet. saecul XVI.
A.C. 1524.
Eisdem quoque libros Argentinensis
Magistratus prohibuit, atque omnes,
qui illos divulgarent, carceribus inclu-
di praecipit.

§. XXII.

Anabaptistarum doctrina.

Haud minori furore Nicolaus Storkius, Cochl. ann.
1524. p. 108.
Pallav. hist.
l. 2. c. 12.
& Thomas Münzerus Anabaptista-
rum Duces doctrinae suae non minus im-
pia quam seditiosae venenum ubique
spargere pergebant. Docebant illi praeter
errores supra memoratos adhuc se-
quentes: I. Parvuli non sunt sacro fon-
te tingendi. II. Verbum Dei scriptum
contemnendum est, soli autem Spiritus
motus sequendi veniunt. III. Qui ve-
ram doctrinam amplectentur, liberta-
tem Evangelicam profiteantur, omni-
bus rebus terrenis valere iussis, mentem
oculosque ad Deum intendant, seque
protinus iterum baptizari sinant, illi
vero omnes huic doctrinae contradicen-
tes, Magistratus simul ac Principes, eo-
quod electos Dei servos absque auctori-
tate ac ratione opprimant, igne ferro-
que ad interuersionem deleant, cum na-
tura omnes liberos genuerit, ac fratres at-
que omnia singulis esse communia volue-
rit, nec gravari ab aliquibus permiserit,

E e 5

IV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

IV. Episcopos & Pastores vel trucident, vel saltem e finibus suis ejiciant, & bona eorum diripiant, Monasteria diruant, omnesque corruptelas, quas in Ecclesia dominari asserebant, pessumdent; cum hæc sit Numinis voluntas, cui morem gerere tenerentur. Perversam hanc doctrinam nonnullis sacræ Paginæ testimoniis ad insana eorum dogmata detortis confirmabant. Porro Storckius his addebat, sibi ab Angelo fuisse revelatum, quod in throno Gabrielis Archangeli sedem accepturus, seu juxta ejus interpretationem orbis Imperium adepturus foret, & cuncti, qui ei adhærebunt, exterminatis omnibus impiis, qui scilicet rebaptizari renuerent, secum regnaturi essent; ut vero hi tantam felicitatem attingerent, Spiritum sanctum recipere deberent, ad quem recipiendum linguam a verbositate cohiberent, ac neglecto corporis habitu in victu & vestitu fordidi ac squalidi viverent. Quae forte infelix iste Storckius perierit, ignoratur.

§. XXIII.

Hæc doctrina a Münzero ad populum dicta.

*Hist. des A-
rabapt. im-
prim. a
Amst. 1700.
Cochl. l. cit.*

Thomas Münzerus, Vir admodum vehementis feroxque natura, jactitabat, sibi a S. Michaelis Archangelo, quæ-

quæcunque prædicaret, inspirari, se- Sæcul. XVI.
 que a Deo selectum, ut Gedeonis gla- A C. 1524.
 dio novum Christi Regnum fundaret; _____
 verbo, tam scite Enthusiastam, seque
 divinitus illustratum mentiebatur, ut pas-
 sim Fanaticorum caput haberetur. Is
 Alstadio pulsus, ut supra dictum, ali-
 quamdiu Norimbergæ morabatur, ubi
 plebem ad seditionem movisset, nisi Ma-
 gistratus constantia obstitisset, a quo ur-
 be ejectus fuit; nihilominus librum
 quemdam prorsus seditiosum edidit,
 pluraque illius exempla ubique divul-
 gavit: unde in variis locis ingentes ex-
 oriebantur tumultus.

§. XXIV.

*Initia belli in Suevia a Rusticis
excitati.*

Norimberga Mulhusium profugus to- Cochl in Ca-
 to, quo Alstadii agebat tempore, tal Sedit.
 quam plurimos sibi Sectatores concilia- ann. 1525.
 bat, eorumque numerum adeo augebat,
 ut illorum potentia fretus, universalem
 suam Monarchiam super omnium Prin-
 cipatum ruinis se erigere posse confi-
 deret. Ergo tam calamo quam lingua
 audacter proclamabat, Dei voluntatem
 esse, ut tandem Principum oppressiones,
 ac Magistratum injustitiæ cessarent:
 cum tempus advenisset, in quo illos
 probis

Sæcul. XVI.
A C. 1524.

probis hominibus subrogatis exterminare, a summo Numine jussus esset: Iut vero ejus audaciæ optatus adspiraret successus, innumeros pene rusticos, ac infinitos propemodum sceleratos homines ad suas partes pertraxit, atque ex illis exercitum conflavit, qui totam Germaniam terrore complevit, eamque ferro flammaque horrendum in modum vastavit. Præ ceteris primi erant Rustici Sævi, qui exeunte anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto contra Comitem de Lupfen arma sumpserunt. Horum exempla mox circumvicini sequebantur rustici, brevique temporis spatio tota propemodum Germania velut continenti incendio flagrabat, ad quod in tempore extinguendum Imperii Status conventu Eslingæ habito inducias, nonnullasque conditiones rusticis, ut illorum petitionibus satisfacerent, proposuerunt, nec absque successu; quippe illi aliquamdiu a tumultibus publicis cessabant.

§. XXV.

*Anabaptistarum Secta apud Helvetios
ab Hubmeyero divulgata.*

Spond. ann.
1525. n. 14.

Præterea Anabaptistarum hæresis in Helvetia quoque altas egit radices, ac tantum in numerum præcipue in Tigurino pago illius Sectatores excreverant,

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

rant, ut parum abesset, quin hæresin suam super præten-
sæ suæ Reformatio- nis ruinas ædificarent. Hujus novi mo-
liminis Auctores ingenio, audacia, ac
pertinacia longe erant clarissimi, inter
quos præprimis eminebant Balthasar
Hubmeyerus, Felix Manzius, Conra-
dus Crebelius, Georgius Blawork, præ-
ter nonnullos alios: reliquis tamen om-
nibus palmam eripuit Hubmeyerus Pa-
cimonti in Hassia natus Theologiæ Do-
ctor; agebat is aliquamdiu Valdustæ Sue-
viæ oppido Præconem, ibique novi Evan-
gelii dogmata populo annuntiabat, fre-
quenti epistolarum usus commercio cum
Zwinglio, cui amicitia junctus erat. Hoc
anno post Christum natum millesimo
quingentesimo vigesimo quarto mutata
sententia Fanaticæ Religioni, quam ei-
dem Müncerus tum Basilea Valdustam
delatus scite instilaverat, nomen dedit,
ac brevi perversa hac doctrina imbutus,
vesanoque Spiritu ebrius, Valdustæ ve-
nenum suum effudit tanto furore, tam-
que pervicaci studio, ut ne ipse quidem
Müncerus, ac vehementissimi quique
Anabaptistæ majori rabie tumultuari po-
tuissent: nam Hubmeyerus tam rapido
progressu doctrinam suam populo inspi-
rabat, ut exiguo admodum tempore Val-
dustanorum incolarum potissimi hanc Se-
ctam amplecterentur: unde factum, ut
Ana-

Sæcul. XVI Anabaptistæ Catholicis numero superiores, eos expellerent, eorumque bona diriperent; ubi vero rursus Catholici prævalebant, hi vicissim omnes ejiciebant Anabaptistas, qui fuga, prout cuique fors dederat, dilapsi, ubique novos hæresis suæ Sectatores conscribere studebant.

§. XXVI.

Illusoria Hubmeyeri palinodia.

Spond. l. cit. Secesserat Hubmeyerus Tigurum ad quamdam viduam itidem Anabaptistarum erroribus infectam, cui amicitia junctus, illiusque amore captus erat; verum Magistratus rem edoctus, illum comprehendi, atque ad urbis Prætorium adduci jussit. Aderat ibi Zwinglius cum quibusdam theologis; Hubmeyerus enim adhuc Valdustæ agens postulabat, ut sibi contra Zwinglium ob Baptismum Parvulorum in arenam descendere liceret. Nec disputandi provinciam recusavit Zwinglius, tamque validis Hubmeyerum doctorem obruit argumentis, ut is neque quid ageret, neque quid responderet, promptum haberet, & se errasse fateretur, suamque hæresin revocare promitteret. Ergo palinodiam suam, quam pro libitu suo concinnaverat, in Abbatia Templo publice prælegit, qua finita Zwinglius sermonem habuit,

habuit, cui Hubmeyerus præfens ea, ^{Sæcul. XVI.}
 quæ mox prælegit, rursus negavit, ac ^{A. C. 1524.}
 vehementer contra infantum Baptisma
 declamans, alios insuper errores pa-
 lam propugnavit: quocirca in carcerem
 conjectus, atque angulo quatuor muris
 cincto inclusus mitiorem induxit ani-
 mum, veniamque a Deo, ac Magistra-
 tu precatus fassus est, se instigante dia-
 bolo palinodiam suam revocasse. Magi-
 stratus nimia indulgentia usus, suppli-
 canti criminis gratiam fecit, nec alio
 perjurum affecit supplicio, quam exilio
 ex Tigurino Pago: Cum vero satellites
 a Cæsare missi vicinas obsiderent vias
 illum comprehendere iussi, ideo Zwing-
 lius a Senatu impetravit, ut Hub-
 meyerus tamdiu Tiguri permaneret, do-
 nec sublato periculo opportunam abe-
 undi occasionem nancisceretur.

§. XXVII.

Erasmi Epistola ad Clementem VII.
Papam.

Ferventibus hisce tumultibus doctus *Epist. Eras.*
 ille Erasmus, cum a fidei suæ firmi- ^{l. 19. ep. 1.}
 tate nequaquam profanis hisce novita-
 tibus undique divulgatis dimoveri pos-
 set, literas dedit ad Clementem VII.
 Papam, ut immotum erga Ecclesiam Ca-
 tholicam studium, suumque animum
 decla-

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.
 declararet. Dabat die decima tertia Fe-
 bruarii anno salutis millesimo quingen-
 tesimo vigesimo quarto. *Dum te, inquit,*
supremis rerum gubernaculis admotum cog-
nosco, libet magis publice gratulari Orbi
Christiano quam privatim tibi: Utinam per-
nosset Sanctitas sua, quanta fide me gesse-
rim in Lutheri negotio, qui nec magnorum
Principum sollicitationibus, nec amicorum
eruditorum illecebris, nec rursus quorum-
dam Theologorum ac Monachorum odio, qui
me ob invidias apud nos bonas literas pejus
oderunt quam Lutherum, perpelli quiverim,
 ut seditioso negotio me adjungerem, &
 adversus Sedis istius dignitatem conspi-
 rarem: etsi illas, quæ in libris ante
 Lutheri insultus a me editis scripsi, non-
 nulli depravent, & in pessimam partem
 interpretentur: ceterum, cum illa scri-
 berem, non suspicabar, quod exinde
 populi offensio oriretur: si vero id scivis-
 sem, multa ex iis non quod impia sint,
 sed ne malis mali occasio forent, aut si-
 luissim, aut aliter scripissim, atque
 hac de causa ante annos duos in poste-
 rioribus editionibus multa correxi, ut
 talibus ansam eriperem; libenter tamen
 & cetera mutassim, si quis fraterne me
 monuisset. Ego semper me, mea-
 que omnia submisi iudicio Romanæ
 Ecclesiæ, non repugnaturus, etiamsi
 iniquam de me ferat sententiam. Sed
 mihi

mihi certior est fiducia, tuæ Sanctitatis Sæcul. XVI.
 æquitatem hoc non passuram, ut paucorum A.C. 1524.
 insanis odiis dedar. ad calcem Epistolæ
 suæ subjungit Erasmus: Precor, beatissi-
 me Pater! ut Dominus Jesus te velit esse
 novi & aurei sæculi vindicem & instaurato-
 rem, id quod vehementer una mecum ex-
 optant omnes, quibus hæc dissidia me-
 rito displicent. Credat mihi, sua San-
 ctitas superabit omnium Pontificum glo-
 riam, si hos bellorum & opinionum tu-
 multus composuerit: & primum quidem
 efficiet, si se prætulerit Principibus om-
 nibus æqualem, alterum vero obtinebit,
 si quædam mutabit, quæ salva pietate mu-
 tari possunt.

§. XXVIII.

Epistola Melanchtonis ad Erasimum.

Elapso aliquot mensium spatio Erasmus *Ep. Eras.*
 epistolam recepit a Melanchtone scri- *l. 19.*
 ptam, cujus hæc summa erat: Non in-
 juria quereris de moribus eorum, qui E-
 vangelium hoc tempore profitentur, mi
 Erasme! obliti mihi plane videntur &
 humanitatis & Religionis, in Ecclesiis
 multitudinem seditiosis concionibus con-
 citant, in literas sæviunt, & civilem
 disciplinam universam labefactant, sibi-
 que Regnum parant, non Christum docent.
 Post hæc Melanchton prorsus sine ullo
Hist. Eccles. Tom. XXXIV. F f fun-

Sæcul. XVI
A.C. 1524.

fundamento asserit: *dissimillimus horum Lutherus est, nec raro deplorat, privatis cupiditatibus prætexi Religionis vocabulum ab his, qui cum Pontificis Regno bellum gerere videri volunt: quamquam autem his malis vehementer Lutherus commoveatur, sed tamen propterea Evangelii causam deserere, negat se debere.* Quare te rogo, ne doctrinæ propter cuiuspiam stultitiam aut temeritatem iniquior sis: Ego integra conscientia Lutheri dogmata non possum damnare. Quod ad Diatribam de libero arbitrio attinet, æquissimis animis hic accepta est. Tyranni enim est vetare, ne quisquam in Ecclesia sententiam de Religione dicat.

§. XXIX.

Responsum Erasmi ad Melanctonem.

Inter Epist.
Eras. lib. 19.
ep. 3.

Ad hæc Erasmus Melanctoni respondit: *Si hic adesses, mi Philippe! ac præsens spectares fabulam, tum magis diceris me non sine causa queri de moribus quorundam, qui tumultuantur Evangelii titulo. Nec dubito, quin huiusmodi portentis indignetur Lutherus; hi enim ejus auctoritatem fortiter negligunt, quoties ipsis videtur commodum. Quid Luthero suus dicat spiritus, ipse viderit. Te non sum vehementer adhortatus ad palinodiam, vel ob id, quod scirem*

rem me in hoc operæ iusurum. Non sum iudex Sæcul. XVI.
 aliene conscientie, nec Dominus aliene fi- A.C. 1524.
 dei. Certe optabam tuum ingenium, ut est
 natum bonis literis, ita iisdem perpetuo fuis-
 se dicatum. Non defuissent actores isti tra-
 gediæ, quæ quo casura sit, incertum est. Ab-
 sit, ut Evangelicæ doctrinæ succenseam, sed
 in doctrina Lutheri multa me offendunt, il-
 lud imprimis, quod quicquid suscepit defen-
 dendum ibi impendio vehemens est, nec un-
 quam facit finem, donec perferatur ad hyper-
 bolem. Etiam admonitus adeo non mitigat,
 ut omnia reddat confusa. Utinam Luthe-
 rus tam posset Pontifices ac Principes ad E-
 vangelicæ pietatis studium convertere, quam
 fortiter in illorum vitia debacchatur. Liber-
 tatem ita malebam temperatam, ut Pontifi-
 ces etiam ac Monachos ad hujus negotii con-
 sortium pelliceremus. Admonui per literas
 Hedionem, Oecolampadium & Pellicanum,
 ut hi egregium Evangelii profectum inter-
 pretantur, si pauci Monachi sint exonerati
 cuculla, si Sacerdotibus aliquot prospedum
 sit de uxore, Lutherus quoque tantum colli-
 git e rebus ea, quæ mala sunt, & ita pugnat
 tollere, quod offendit, ut non satis caveat
 aliud malum gravius. Quot enim locis quam
 atroces tumultus exorti sunt? & expecta-
 mus his atrociores: quid inutilius ad Chri-
 stianam pietatem, quam hæc audire vulgus
 indoctum, hæc instillari auribus adolescen-
 tum, Pontificem esse Antichristum, Episco-
 pos,

Sæcul. XVI pos, & Sacerdotes esse larvas, Constitutio-
A.C. 1524. nes hominum esse hæreticas, confessionem esse
 pestiferam, opera, merita, & conatus esse
 voces hæreticas, nullum esse liberum arbi-
 trium, sed omnia necessitate geri, nihil refer-
 re, qualia sint hominis opera? Genuit olim
 Evangelium mundo novum genus hominum,
 nunc quales gignat hoc Evangelium non libet
 referre, certe, quos olim novi optimos, quos-
 que dixissem virtuti natos, video factos de-
 teriores.

§. XXX.

*Erasmi tractatus de libero arbitrio
 contra Lutherum.*

Cochl. de ast. Ex epistola Melanchtonis ad Erasmus,
Luth. p. 140. quem ad scribendum de libero arbi-
Sleid. in com. trio librum adversus Lutherum stimula-
l. 4. p. 123. bat, haud obscure colligimus, jam ei-
Spond. ad dem perspectum fuisse docti hujus viri
an. 1524. n. 9. propositum, quo ejusmodi tractatum e-
 lucubrandum susceperat. Enimvero E-
 rasmus, quamvis hucusque veram Ec-
 clesiam adversus novas hæreses cala-
 mo tueri cunctaretur, nunc tandem non
 modo amicorum precibus, sed etiam
 Principum, imo & Præsulum impulsu
 ad id movebatur, præcipue vero ipsa
 eum necessitas compellebat, ut semet-
 ipsum tueretur adversus illos, qui illum
 Lutheri fautorem criminabantur, his
 itaque rationibus permotus adversum
 hunc

hunc Hæresiarcham calamum stringere constituit, scripsitque hoc anno tractatum, cui titulus: *Diatriba hoc est exercitatio de libero arbitrio*. Libellus iste eruditione, eloquentia, ac Scriptoris moderatione plane præclarus est, de quo fusior redibit sermo, ubi Lutheri responsum, nonnisi biennio post editum referemus.

ſæcul. XVI.
A.C. 1524.

§. XXXI.

Oecolampadius fidei desertor, ac novæ reformationis Sectator.

Quamquam Oecolampius Erasmo amicitiae foedere junctus esset, illo tamen minus in fide constans ad eam mentis imbecillitatem prolapsus est, ut se hoc anno novarum hæresum torrente abripi sineret. Natus is erat anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo secundo, ac Juvenis admodum Basileam vocabatur, ut in Principali Ecclesia Verbum Dei populo annunciaret: Anno autem millesimo quingentesimo decimo septimo elegantissimam juxta ac doctissimam ad Erasmus perscripsit epistolam, in qua haud vulgaria tenerrimæ ferventisque pietatis specimina prodidit: imo sanctioris vitæ studio animatus anno Salutis millesimo quingentesimo vigesimo in Monasterio S. Laurentii prope Augustam Ordinis S. Brigittæ habitum induit,

Spond. ann.
1525 n. 17.
Sand. hæres.
210.

Prætol. in
vita Oecol.
Wolfg. Ca-
pito. ibid.
Florim.
Raym. de
orig. hæres.
l. 2. c. 8. n. 9.
§ 10.
Epist. Eras.
l. 7. ep. 42.
§ 43.

F f 3

induit,

Sæcul. XVI
A.C. 1524.

induit, nec diu tamen in sacræ familiæ societate permansit, sed relicto Monasterio Basileam contendit, ubi eidem Paræcialis Ecclesiæ cura demandata fuit: Verum paulo post Novatorum erroribus seductus, Basileæ in primarium commentitiæ reformationis Pastorem seligebatur, ac præcipue cum Zwinglio consuetudinem jungens, ejusdem errores ubique divulgare conabatur, eodemque anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, ni fallimur, librum edidit hoc titulo: *De genuina expositione verborum Domini: Hoc est Corpus meum, id est figura corporis, signum, typus, & symbolum*, Erasmus enim hoc anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto de hoc libro hæc verba habet: *Oecolampadius tanto studio, totque machinis argumentorum, & tanta facundia scripsit, ut seduci possint, ni vetet Deus, etiam electi.* Oecolampadio Lutherani aliud scriptum opposuerunt, sub hac inscriptione *Syngramma*, cujus Auctor fuisse putatur Joannes Brentius; Oecolampadius vero iis respondens, alium librum edidit, cui titulus: *Anti-Syngramma*. Vulgavit insuper alios tractatus contra liberum arbitrium, & invocationem Sanctorum, docuitque, quod Christianis bella gerere, haud licitum esset. Erasmus ad Natalem Bedam Facultatis Parisinæ Syndicum

Saecul. XVI. in Conciliis rursus agitate, noxium ef-
 A. C. 1524. set. Ex his facile conijcimus, Papam
 ad Romanam Sedem euectum suam haud
 mutasse sententiam. *Verum etiam est, in-*
 Pallav. in apparatu ad hist. Conc. quit Pallavicinus, *visam in Clemente va-*
 Troid. c. 10 p. 96 in hist. l. 2. t. 10. p. 176. *riis temporibus dubitationem, ne aperto se-*
mel Concilio inquieta quaedam ingenta impor-
tunam quaestionem de praerogativa inter Con-
cilium ac Pontificem suscitarent, ne, dum
schisma compescerent, novum inducerent.
 Obstabant insuper Cardinales, qui in
 Concilio de morum restauratione agi per-
 timescentes Clementem praepediebant,
 ne Germanis Concilium congregari pe-
 tentibus aures praerberet: quapropter di-
 lata Synodi celebratione interim nonni-
 si simplicem Cardinalium conventum a-
 gebat, cujus definitionibus, vel ideo
 haud magna tribui poterat auctoritas.
 Decreverunt vero illi: I. Caesar summis
 precibus exoretur, ut executionem edi-
 cti sui Wormatiensis contra Lutherum
 toto studio urgeret. II. Itidem Angliae,
 & Lusitaniae Regibus supplicetur, ut li-
 beris

eam adeo confirmarunt, ut ipsorum primum edi-
tis definitionibus, dum adhuc nullus existeret
Pontifex certus, evaserit Catholicorum machi-
na Lutheranis prorsus inexpugnabilis. Ex ea-
dem igitur Pallavicino causas discere potuisset
Continuator, quibus movebatur Clemens ad
declinandum Concilium.

beris Germaniæ urbibus omne commercium intercludi minarentur, nisi præfatum edictum executioni darent. III. Legatus Principes Catholicos inducat, ut Spirenses Conventum impediunt, vel saltem, si id impetrare non poterunt, adversus illum reclament, hocque pacto Sedis Apostolicæ jura tueantur. IV. Idem Legatus ad factam congregandi Concilii petitionem respondeat, quod Sanctitas sua ad illius celebrationem valde prona esset, illud tamen convocare haud posset, quamdiu Principes Christiani bello inter se implicarentur. V. Ad quæstionem de oneribus, quibus Germani se gravatos querebantur, respondat, potissimum eorum partem per Lateranense Concilium fuisse sublatam, ac a Papa jussu, ut illius decreta executioni darentur, si vero id nondum sufficeret, Papam huic negotio ante futuri Concilii celebrationem invigilaturum, simulque specialem institutum Congregationem ad id unice deputatam.

§. XXXIII.

Baiardi Equitum copiam a Piscario invasam.

Nec facili labore Pontifici stetit Principum reconciliatio; quippe Carolus adepto Imperii folio virorum utebatur

Sæcul. XVI.
A.C. 1524

Secul. XVI
A.C. 1524

tur consilio, qui illa ætate animi fortitudine, rerumque gerendarum dextertate longe celeberrimi erant; aliunde Cæsar omnino sibi persuasum habebat, quod imperii sui felicitas haud firmiori fulcro consistere posset, quam si Hispaniæ Regna cum Neapolis Sceptro perfecta concordia unirentur, atque Italiæ Principes lenitate Cæsari devincti in officio continerentur: ut vero hisce consiliis optatus adspiraret eventus, Gallos penitus ex Italia pellere, & Francisco Sfortiæ Ducatus Mediolanensis possessionem firmam reddere, omnino necessarium duxit. Ex adverso Franciscus Galliarum Rex primas eo curas intendit, ut eundem Ducatum recuperaret, ac rursus illas urbes, ex quibus a Cæsareis expulsus fuerat, occuparet. Exercitus illius Rebecchi castra metabatur, atque Equitibus Bajardus Eques, peditibus vero Lorgesius Montgomerius præerat. Alliciebat Cæsareos ad prælii discrimen non modo hostis propinquitas, sed ipsa etiam loci opportunitas, quocirca Bajardus iteratis precibus Bonivetum Admiralem urgebat, ut ab illo de hac statione vel revocaretur, vel saltem suæ copię pari numero, ac agmen ipsius validum esset, nimirum ducentis Lanceariis, ac bis mille peditibus auferentur. Pollicebatur equidem Bonivetus

Guicc. l. 15.
Vie du Chev.
Bayard. ch.

64.
Mem. du
Bellai.

vetus hasce suppetias, cum autem Pi-
 scario a suis exploratoribus nunciatum
 esset, quod Bajardus adversa valetudi-
 ne pressus lecto decumberet, quantocius
 illum intercipere statuit. Adhucdum
 cœlum albebat, cum jamjam Rebeccanæ
 urbis portas attingens, milites, qui ex-
 cubias agebant, primamque stationem
 vi perrumperet, prius vero septem mil-
 lia peditum ac quingentos, quos duce-
 bat, cataphractus tunicas albas super
 arma sua induere jusserat, ut concubia
 nocte eo facilius sese a Gallis interno-
 scerent: unde ea pugna vulgo *antelucana*
irruptio vocabatur. Bajardus ad pri-
 mos adventantis hostis rumores e lecto
 suo sese proripuit, ac tremulo febris hor-
 rore agitatus, quamvis ea die medici-
 nam sumpsisset, in equum insiliit, at-
 que post exiguum admodum tempus cum
 quinque vel sex suis Cataphractis muni-
 mentum conscendit.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1524.

§. XXXIV.

*Bonivetus Fœderatis resistendo impar,
 indeque turbatus.*

Accesserant brevi Lorgesius, aliæque
 Gallorum copię, quibus suffultus
 tam rara fortitudinis suæ specimina ede-
 bat Bajardus, ut quaquaversum ferro
 fugæ viam sibi aperiens, omnes ferme
 mili-

Mem. du
 Bellai l. 2.

Se cul. XVI.
A.C. 1524.

milites suos periculo subduxerit, ac Biagrassam sese receperit. Occurrebat in itinere Boniveto Admirali, nec se continere poterat, quin eidem exprobraret, ab eo ad tam imprudentis consilii necessitatem fuisse adactum. Interea Federati, cum in Admiralis castra irrumperere desperarent, die secunda Martii impositis tribus pontibus Papiæ Ticinum flumen superarunt, ibidemque castra posuerunt, ut Boniventum famis vi ad deditionem cogerent, simulque præpedirent, ne is Helvetiorum reciperet suppetias, quas per Pragelafensem, & Sallafforum vallem accurrentes expectabat. Bonivetus castris Vaglebanum promotis trans Ticinum substitit, ut militibus suis comeatus copiam magis expeditam redderet; verum hæc quoque Boniveti consilia evertibat hostium solertia; hi quippe captis Sertirana & Vercellis urbibus liberum ad Pedemontanam Regionem aditum Gallis intercludebant. Pariter eodem tempore nunciatum fuit Boniveto, Monteianum & Bouterium a Joanne Medicæo captos, eorumque copias penitus fuisse profligatas, non sine ingenti etiam Cataphractorum dispendio, tanto magis Gallis funesto, quo tota illorum spes unice reposita esset in sex millibus Helvetiorum, qui jamjam Ivream venisse dicebantur. His igitur,

ut

ut sese jungeret Bonivetus, statione mu- Sæcul. XVI.
A.C. 1524.
tata Novarræ castra metatus est, ubi
vero inter ipsum, ac Vercellas urbem
Fœderati sua castra ponebant, rursus
Bonivetus Romanagnum usque, oppi-
dum ad Sicidam situm procurrere, im-
positoque ex navibus ponte flumen si-
lenti agmine trajicere compellebatur:
ubi occurrebat proxima nocte Helvetiis,
qui datam sibi fidem nequiter violatam
questi ulterius progredi renuebant; quo-
rum repugnantia factum, ut Helvetio-
rum potissimi, quos Gallorum exerci-
tus numerabat, popularium suorum
consilia edocti relictis Gallorum signis
quantocius dilaberentur.

§. XXXV.

*Bonivetus in fuga invasus, ac
vulneratus.*

Admiralis hac Helvetiorum pertina- Capella l. 2.
cia perterritus, trajecto Sicida flu-
vio nil reliquum habebat, quam ut cum
suis in Franciam aufugeret; verum ul-
timo ejus agmini ex paucis, qui supe-
rerant equitibus conflato Fœderati tam
acriter instabant, illudque tanta cædis a-
viditate aggrediebantur, ut ad primam
scloporum explosionem Bonivetus in
dextero brachio minoris plumbi glande
trajiceretur, ac faucibus e prælio exire
com-

Sæcul. XVI.
A.C. 1524

compelleretur, qui postmodum in le-
ctica trans pontem deferri voluit, veri-
tus, ne in Borbonii Ducis inimici sui
manus incideret: Priusquam vero sece-
deret, Bajardum Equitem ad se accer-
situm allocutus, prærepta mihi est, aje-
bat, pugnandi copia, quapropter tibi,
quem ceteris magis idoneum veneror,
exercitus imperium cedo. Bajardus na-
tivo animi sui candore respondit: tarda
nimis sunt hæc consilia, nec malo re-
medium superest, nihilominus etiam
cum dispendio vitæ obsequia patriæ
meæ debita præstare conabor. His di-
ctis regiminis curam partiebatur cum
Vandenesso Chabannii Marescalli fratre:
Igitur ambo junctis viribus hostium im-
petus infracta virtute sustinebant, eos-
que tam fortiter repellebant, ut Bonive-
tus cum Gallorum exercitu redeundi spa-
cium nancisceretur: hæc tamen virtus
utriusque Herois sanguine ac vita stetit;
quippe Vandenessus sclopi globo traje-
ctus, suoque lapsus equo occubuit, Ba-
jardus vero eodem ferme momento,
eademque glande comminuta vertebra
lethale vulnus accepit.

§. XXXVI.

Bayardi Equitis obitus.

Referunt Historicorum nonnulli, quod
Bayar-

Bayardus, postquam equo descendens, arborique innixus in terra verso ad hostem vultu sedisset, deficiente Sacerdote, animi demissione impulsus peccata suæ mensæ Præfecto patefecerit. Hunc Borbonius, cum eum vidisset, adiit, miseramque illius vicem dolens inquit: „Bellidux Bayarde! casu tuo vehementer commoveor, ac in tanto dolore tuo pari prope molestia afficior; te enim ob animi fortitudinem, tumque prudentiam maximi semper habui, hinc etiam nunc sortem tuam summopere misereor. „ Cui Bayardus magnanimo prorsus animo reposuit; Princeps illustrissime! gratias tibi rependo; ast tua de me superflua est miseratio; morior enim non sine fama obsequiorum, quæ Regi meo præstiti, tu vero miseratione dignus es, qui contra Regem tuum violata fide, ac juramenti Religione arma capessis. Ad hæc Borbonius adeo non Bayardi libertatem indignatus, ut etiam defectionem suam nonnisi incurso Regis odio excusaret, quem Bayardus morituris jam atque hiulcis vocibus adhortabatur, ut in Regis gratiam rediret, atque iniqua abjiceret consilia, in quæ cæco prorsus impetu præcipitem sese dedisset. Superveniebat paulo post & ipse Piscarius Marchio, qui morienti haud vulgari-

bus

Sæcul. XVI.

A. C. 1524.

Hist. des Che-
valier Ray-

nald. c. 55.

§ 65.

*Mem. du**Bellai l. 2.**Guicc. l. 1. 5.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

bus signis suum in eum affectum ac venerationem testabatur, simulque eodem in loco tentorium pro illo erigi jubebat, tantoque obsequio, quo majus nec ab ipsis quoque amicis sperare potuisset, illum prosequabatur. Defunctum non minus Cæsarei quam Galli lugebant, & Piscarius corpus ejus aromatibus condiri, ac sub honorifico præsidio ad suos Propinquos remitti jussit, funus comitante illius Magistro domus, cui Borbonius Dux securitatis literas tradidit. Deferebatur autem Bayardus in Delphinatum, & sepeliebatur in Templo Fratrum Minimorum in Plana prope Gratianopolim. Obiit Mense Aprili Anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, nonnisi quadraginta octo annos natus.

Obitus sui fama pene ceterorum omnium, qui pari fato occubuerant, memoriam obliterabat, Rex quoque tanti Viri jacturam assidue plangebatur, nec unquam nisi adjecto elogio illius mentionem faciebat; communi enim omnium suffragio dicebatur, quod præter eum nullus hucusque jure magis merito Eques probus, intrepidus, nullaque reprehensione dignus fuerit appellatus.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Sæc. XVI.
A.C. 1524.

*Gallorum exercitus superatis Alpibus
in Gallias reversus.*

Interea Comes Sancti Pauli suscepto *Mem. du Bel-*
exercitus imperio sine magno suorum *lai l. 2.*
dispendio sese recepit, Fœderatis tamen *Gal. Capel.*
non modo sarcinas sed & viginti belli *l. 3.*
tormenta cedere coactus est, quæ Hel-
vetii in oppido S. Agathæ reliquerunt,
ut in patriam suam reversuri, eo expe-
ditius per Vallem-Augustam iter arri-
pere possent. Denique Comes, atque
Admiralis Bonivetus nemine obsistente
Taurinum attingebant, ubi ambo in lo-
co, qui Segusio & Brigantio inter-
jacet, Longevillæ Ducem obviam habe-
bant cum quadringentis Lanceariis, qui
Helvetios in Italiam comitari jussi erant.
Haud dubium est, quin Cæsarei, si Rex
hunc peditatum unacum sex Helvetio-
rum millibus jamjam Ivream usque pro-
gressis ante duodecim duntaxat dies
præmisisset, penitus fuissent profligati,
Gallique nullo negotio Mediolani Du-
catum recuperassent. Nunc vero Gal-
lis ad sua remeantibus equidem Bussus
de Ambasia, & Buzzolus Princeps, quo-
rum prior Laudæ, alter Alexandriae Gu-
bernatores erant, Cæsareis resistere co-
nabantur, cum vero præsidiarii eorum
Hist. Eccles. Tom. XXXIV. G g mili-

Sæcul. XVI.**A.C. 1524**

militēs unā omnes natione Itali essent, post quindecim dierum obsidionem deditiōnem facere cogebantur: Igitur cum arx Cremonensis jam antea expugnata fuisset, Galli nil omnino reliquum habebant in toto Mediolanensi Ducatu. Nihilominus Bonivetus Admiralis ad Franciæ aulam delatus, perinde ac si victor rediisset, perbenigne ac honorifice a Rege exceptus fuit, cuius rei causa haud postrema fuisse creditur singularis affectus, quo Regina Mater hunc Admiralem prosequabatur.

§. XXXVIII.

Cæsaris, Regisque Angliæ consilia adversus Franciam.

Gallis ex Italia vix pulsīs Cæsar atque Angliæ Rex primas eo curas intendebant, ut Franciscum Franciæ Regem in suo etiam Regno aggrederentur.

§. XXXIX.

Papa Cæsarem, Anglumque ad pacem adhortatus.

Guic. l. 15. Agitabant ambo hæc consilia, vehementer oblucente Clemente Papa, qui etiam Capuanum Archipræsulem in Hispaniam legabat, ut Cæsari exponeret, quatenus suo imperio contentus viveret,

veret, Ducatum vero Mediolanensem, Sæcul. XVI.
A. C. 1524.
cujus esset, Francisco I. cederet; cum
magnum inde sibi nomen acquireret, a
cunctis tanquam Princeps pius, & Cæ-
sar vere Augustus proclamandus. Ve-
rum Imperator perperam persuasus, sub
speciosis hisce monitis perversa latere
consilia, Legatum responso minus bene-
volo excepit. Præterea, ne Clemens
Papa apud Angliæ Regem pii sui con-
sili optatum nancisceretur successum,
Volsèji Cardinalis ambitio obstabat; nam
hic Anglo auctor erat, ut secreta cum
Borbonio Duce foveret consilia, ejusque
ope pristina Majorum suorum jura in
Franciam resuscitaret: aliunde enim e-
tiam Cardinalis ægre ferebat, quod
summus Pontifex hujus pacis concilia-
tor esset; nam hanc gloriam soli Regi,
ejus Domino per universam Europam
adscribi ambiebat.

§. XL.

*Fœderis pacta inter Carolum V, &
Henricum VIII. adversus
Gallos.*

Hunc in finem Henricus Anglorum *Mem. du Bel-
lai l. 2.*
Rex novum fœdus cum Cæsare pe-
pigit, his conceptum articulis. I. Bor-
bonius Dux cum exercitu Provinciam
invadat, ut eo expeditus illi Hispano-
rum

Sæcul. XVI. rum classis in Genuensi portu hærens
A. C. 1524 succurrere valeat, quæ Borbonio si in
interiora Franciæ penetraret, inutilis
foret. II. Anglus Duci singulis men-
sibus centum aureorum millia in sum-
ptus belli suppeditet, ea lege, ut si ipse
a prima Julii die usque ad finem De-
cembris cum potenti exercitu in Picar-
diam transfret, ab hujus summæ solu-
tione liber sit; si itaque hæc conditio
Regi placuerit, Belgii copiæ eidem sese
conjungant, urbiumque Gubernatores
præter quatuor peditum millia neces-
saria subministrent tormenta. III. Cæ-
sar eodem tempore ex Hispaniæ finibus
bellum Aquitanniæ inferat. IV. Ad
suppetitandos belli sumptus Papa, ce-
terique Italiæ Principes sollicitentur,
eisque exponatur, quod Gallos a reditu
in Italiam longius arcere, illorum plu-
rimum interesset. V. Compellatur Rex
Franciæ ad reddendas Borbonio Duci
cunctas illius dignitates & bona, ac ipse
etiam in suas ditiones reponatur, regno-
que Arelatensi augeatur, ea tamen lege,
ut ob illud Angliæ Regi clientelare ob-
sequium profiteretur, eumque ceu ve-
rum Galliarum Regem agnosceret.

§. XLI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.*Borbonii Dux utriusque Regis consiliis
adversatus.*

Equidem hoc foedus firmitatem suam obtinuit, non tamen omnes illius conditiones fuerunt adimpletæ; summus enim Pontifex utpote pacis studiosissimus quicquam ad belli sumptus conferre constanter renuebat, ac Veneti quoque suppetias ferre recusabant: Præterea Borbonii Dux nil magis abhorrebat, quam Angliæ Regem pro Franciæ Monarcha venerari, eidemque propter Provinciam homagium præstare; longe enim ab utroque Rege diversa fovebat consilia; quippe in Provincia hære non intenderat, id vero unum fixum, destinatumque in animo habebat quod superata Tulonensis portus turre, captisque Aquis sextiis aliisque urbibus, continuato felicitatis cursu recta Lugdunum procurreret, indeque usque ad Bituricensem Comitatum penetraret, spe fretus, Forenses, Bellojovienses, Borbonnenses, Marcianos, & Alvernenses, cum omnes ejus jurisdictioni obnoxii essent, certatim illius obsequium professuros; sperabat insuper, fore, ut harum ditionum Nobiles sua ei studia addicerent, atque exercitus sui nume-

G g 3 rum

Sæc. XVI.

A.C. 1524.

rum augerent: plebæi vero utpote nova tributa pertæsi, ultro ad ejus gremium convolaturi essent, hacque via Galliarum Regem prompto auxilio destitutum iri existimabat, si ejus subditos ab impositis vectigalium, ac subsidiorum oneribus eximeret. Verum non eadem erat Cæsaris sententia, qui potius Angliæ Regis quam Borbonii consiliis servire maluerat; Hugo enim Moncada classis, quæ Genuæ instructa erat, Præfectus, Carolum datis literis monuerat, rem summi discriminis esse, si totius Cæsarei exercitus robur cujusdam rebellis arbitrio relinqueretur; timendum enim, ne cum copiis suis Lugdunum usque penetrans demum in Francisci Galliarum Regis gratiam rediret, ejusque potestati Cæsaris exercitum traderet, eo fine, ut junctis cum eo copiis ad Mediolanensem reverteretur Ducatum, illius autem expugnatio nunc eo magis esset expedita, quo certius copiæ, quæ illum tuerentur, abessent; haud melius itaque huic malo occurrendum aiebat, quam si Borbonius maritimam Provinciæ urbem obsidere juberetur, eique duo adjungerentur Belliduces, qui cum eo militaris imperii curam partirentur, ejusque jussis nonnisi in certis casibus obsecundarent, ex quibus

unus

unus maritimis, alter vero terrestribus **Sæcul. XVI.**
 copiis unacum Borbonio præessent. **A.C. 1524.**

§. XLII.

Borbonii indignatio.

Placuit Cæsari, aliisque Moncadæ con-
 siliis, quocirca Borbonius Massi-
 liam obsidere jubebatur; Ast ille acce-
 pto vix mandato fabam sibi cudi suspi-
 cabatur, hancque injuriam iniquiore fe-
 rebat animo, quo jam tertio se a Cæsa-
 re offensum existimabat: Cum vero nec
 precibus, nec querelis demandatum si-
 bi munus a se amoliri posset, quin fidem
 suam magis adhuc suspectam redderet,
 suisque inimicis novam conviciandi an-
 sam præberet, hinc jussis parere com-
 pellebatur.

§. XLIII.

*Provinciam ingressus Massiliam
 obsidet.*

Igitur die vigesima quarta Junii Bor- *Mem du Bel-*
 bonius terrestri itinere exercitum du- *lai l. 2.*
 xit expectatione sua longe minorem; *Guic. l. 15.*
 quippe non nisi tredecim peditum, atque *Paul. Jov.*
 equitum tria millia recensabat. Per- *l. 4 in vita*
 agrabat ergo Niciensem comitatum, in- *Piscarii*
 deque die secunda Julii Provinciam in- *D. Ant. de*
 gressus, Foro-Julium, Antipolim, Gras- *Vera hist. de*
 sam, *Charl. V.*
p. 92.

G g 4 fam,

Sæcul. XVI. fam & Brinoniam occupavit; postquam
A. C. 1524. vero Acquenses ultro urbis suæ por-
 tas victori aperuissent, & Moncada To-
 lonium vi cepisset, Borbonii Dux die
 decima nona Augusti Massiliam obside-
 re aggrediebatur, suaque castra locabat
 penes quoddam Leproforum Xenodo-
 chium, in quo Piscarius Marchio statio-
 nem habebat, totusque ferme exercitus
 Aubiniense iter obsidebat.

Franciscus Rex, ubi Borbonium ca-
 stra movisse compererat, nulla mora
 Ranceum de Ceri nobilem Italum, sed
 Gallorum signis adscriptum, necnon Phi-
 lippum Chabotum de Brionia ablega-
 vit, ut cum numerofo præsidio Massiliam
 ingrederentur. Ex horum adventu
 Borbonius haud obscure collegerat, ur-
 bis expugnationem longe magis, quam
 crediderat, difficilem futuram, nihilo-
 minus obsidionis labores prosequi con-
 stituit; ast tam diuturna erat obsessio-
 rum repugnantia, ut Galliarum Rex op-
 portunum pecunias corradendi, copias-
 que suas restaurandi spacium nancisce-
 retur; ipse enim exercitum suum urbi
 admovere, eamque ab obsidione libera-
 re constituit, huncque in finem oppor-
 tune quatuordecim Helvetiorum millia
 conscripsit, præter sex Germanorum
 millia, quæ Suffolcius, & Valdemon-
 tius eidem adduxerant. His copiis au-
 ctus

ctus Avenionem cepit, hanc urbem Pontifici sartam conservandi obtentu usus, re ipsa tamen ibidem cunctas vires suas colligere statuit, ut inde in hostes suos toto impetu irruere posset, nil ardentius percipiens, quam ut Borbonium profligare, suisque manibus traditum debita rebellionis pœna castigare valeret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

§. XLIV.

Obsidio ad Gallici exercitus conspectum soluta, & Borbonius inde profugus.

Ceterum Borbonius comperto Regii exercitus adventu, hostem suum præstolari, ac prælii discrimen experi-
ri constituit. Obstitit tamen Piscarius Marchio, qui hostem in propria sua ditione aggredi haud consultum censebat, præcipue ubi Regis copiæ Fœderatis numero longe superiores essent; quapropter eadem die nimirum decima Septembris, qua Rex Avenione Salum profectus in Cæsaris exercitum incur-
rere parabat, Borbonius motis castris Massiliæ obsidionem solvit, postquam jam quadragesimus effluxerat dies, a quo obsidionales ad urbem accessus ducere cœperat. Liberatæ urbis nuncium Massilienses Deputati ad Regem, qui tum Aquis sextiis agebat, detulerunt. In

*Mem. du Bel-
lai l. 2.
Petr. de
Angl ep 800*

G g 5 hac

Sæcul. XVI hac expeditione cæsi fuere plures, iique
A.C. 1524. nobilitate generis clarissimi, magna etiam tormentorum pars amissa. Horum jactura, atque obsidionis solutæ infelicitas plurimum afflixit Cæsarem, magis vero Borbonii Ducem, præcipue ubi eidem nunciatum erat, Romæ adversus illum publice famosos libellos fuisse affixos, in quibus arguebatur, quod Borbonii Dux quondam indole Gallus jam animum Cæsari eo fine addiderit, ut velut alter Thrafo adversus Franciæ Provincias jactantius inanes minas effunderet.

§. XLV.

Reginæ Franciæ obitus.

*Brantome
 vie des Da-
 mes illustr.
 Du Bouchet.
 Es de S.
 Matth geneal. de la
 maison de
 France.*

Interim Galliarum Rex adhucdum Avenione hærebat, cum nuncium acciperet, quod Regina ipsius conjux exeunte Mense Julio Blefi mortalitatem exuisset. Vocabatur hæc Claudia de Francia, Ludovici XII. Regis Filia, & nata erat Romorantini die decima tertia Octobris Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. Susceperat quatuor Filias, ac tres Filios, quos inter primus erat Franciscus Delphinus, ac Britannicæ Dux, natus die vigesima octava Februarii Anno supra millesimum quingentesimo decimo septimo;

mo; alter extitit Henricus Gallici Re-
 gni Successor; tertius denique Carolus
 Aureliæ, Borbonii, Engolismæ, & Ca-
 stri Heraldii Dux, Franciæ Par, ac Cu-
 bicularius, natus die vigesima secunda
 Januarii sub annum Christi millesimum
 quingentesimum vigesimum secundum.
 Inter Filias prima, die decima nona A-
 priliis Anno millesimo quingentesimo
 decimo quinto lucem aspexit Ludovica,
 biennio post die vigesima prima Se-
 ptembris vivis erepta: Anno autem
 millesimo quingentesimo decimo sexto
 die vigesima tertia Octobris nata est Ca-
 rolina, quæ itidem anno post Christum
 natum millesimo quingentesimo vigesi-
 mo quarto die octava Septembris ani-
 mam Deo reddidit. Tertia erat Mag-
 dalena nata die decima Augusti anno
 millesimo quingentesimo vigesimo, ul-
 tima denique extitit Margarita Bituri-
 censis Ducissa, quæ orbem ingressa est
 die quinta Junii Anno Incarnationis
 Dominicæ millesimo quingentesimo vi-
 gesimo tertio.

§. XLVI.

*Rex Cæsareos insequi paratus contra
 Saniorum consilia.*

Ceterum Galliarum Regem Reginae
 obitus haud adeo turbabat, quo mi-
 nus,

*Mem. du'
 Bellai. 2.
 Guicc. l. 15.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1524.

nus, licet Mensis October ad medium vergeret, cum suo exercitu Alpes transcenderet. Dissuadebant Regi hoc iter tam ejus Ministri, quam Belliduces, ipsa etiam Sabaudix Princeps ejus Mater missis tribus omnino cursoribus tabellariis iterum iterumque Regem obsecrabat, ut discessum differret: Verum Franciscus jocando Ministris suis reposuit: remaneant domi, qui frigus sustinendo impares sunt, Matri vero suæ nunciari jussit, se concessæ administrationis diploma eidem missurum, ceterum unice eo curas suas intendat, ut hujus rescritti auctoritas comprobetur, ipsaque juxta illud regni salutem procurare studeat. Rescripsit illa Regi, se ad eum proxime accessuram, cum maximi momenti res haberet, quas illi communicaret, nec tamen calamo aut cuicumque alteri personæ confidere posset: Cui reposuit Rex, ut labori ad eum accedendi parceret, eoquod jam tantum itineris confecisset, ut eum assequi haud ultra valeret.

§. XLVII.

Rex cum suo exercitu versus Mediolanum progressus.

Ant. de Vera Igitur Rex iter suum strenue prosequetur, secumque ducebat viginti pedatum
l. cit. p. 94.

ditum millia, ac numerosum peditatum, ^{Sæcul. XVI.}
 quo selectiorem longis retro annis ^{A.C. 1524.}
 Francia non visibat, præter quatuordecim Helvetiorum millia, ac sexies mille Germanos pedites, quos Guisæ & Suffolciæ Comites, necnon Franciscus Lotharingus adduxerant. His copiis auctus Rex Pedemontium peragravit, eumque comitabantur Henricus Albrechtus Navarræ Rex, Alenfonius & Longevillanus Duces, necnon Albanæ Dux regio Scotorum sanguine ortus, præter Suffolciæ, & S. Pauli Comites. His quoque sese jungebant Valdemontius, Franciscus Lotharingus ejus frater, Ludovicus Trimollius, Palicius, Fuxus, & Morentiacus omnes Franciæ Marefcalli. Sequebantur itidem Bonivetus Admiralis, Sabaudia Nothus magnus Franciæ Magister, Michael Antonius Salutarum Marchio, Renceus de Ceri, Philippus Chabotus Brionia Toparcha, Galeatius Sanseverinas supremus Regis Scutarius, Ludovicus de Arfia præter alios quamplurimos Nobiles. Ex adverso Carolus Lanoyus Neapolis Prorex Cæsaris exercitui imperabat, qui non parum turbabatur, cum Galli ac præcipuo Palicius, & Morentiacus tam prope instarent, ut Proregis vestigia premere viderentur, magisque incautos trucidarent.

§. XLVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1524.

§. XLVIII.

Cæsareorum solertia in tuendo Mediolanensi Ducatu.

Nihilominus Borbonii Dux, & Piscarius Marchio Gallos prævenerant, suasque copias Papiæ Proregi Neapolitano jungebant, ibidemque de opportunis Mediolanensem Ducatum tuendi mediis consultabant. Urgebat illos vel maxime Moroni Cancellarii epistola, qua Piscario significatum, quod Mediolani Metropolis olim adeo magnifica amplo jam cæmeterio haud ablimilis existeret, atque infra bimestre quinquagies mille homines pestis vi fuerint abrepti, a terræ mandati, nec minus arctior annonæ inopia illam premeret, cum eam invehere, rusticos morbi metus prohiberet: Præterea urbem hanc nobilibus passim ex ea abeuntibus maxima pecuniarum penuria pressam, illiusque munimenta omni ferme præsidio nudata scribebat: eo quod istorum reparatio ob pestis violentiam fuerit neglecta. In hoc rerum statu Lanoyus nil reliquum habebat, quam ut Alexandrinæ urbi, quam Rex pertransire debebat, duo peditum millia imponeret, ut Franciscum, si forte urbem aggredi vellet, aliquamdiu detinere posset. Præterea Antonium de Leva cum ducen-

ducentis Hispanis ac sex Germanorum Sæcul. XVI.
A.C. 1524.
 peditum millibus Papiam misit, Regisque adventum ad Mediolanensem urbem prævertere studuit. Vix Lanoyus Mediolanum ingrediebatur, cum jamjam Salutarum Marchio a Francisco Rege deputatus cum ducentis cataphractis, & quatuor peditum millibus Vercellensis urbis portas infestaret, tantoque impetu suburbium adoriretur, ut Hispanos, qui oppugnantibus resistere conabantur, ad interiora urbis loca repelleret. Hæc dum geruntur, Trimollius quoque cum valido equitum peditumque agmine accurrebat, ut Salutarum Marchionem tueretur. Lanoyus totam Gallici exercitus molem sibi soli impendere, ac Mediolanensi urbi includi veritus, cum eam sustinendæ obsidioni imparem nosset, unacum Borbonio, & Piscario per portam Romanam excessit, Laudamque sese recepit.

§. XLIX.

Gallorum socordia in insequendo hoste.

In eo statu tum Cæsareorum res erant, ut integram exercitus cladem nec provida Borbonii consilia, nec Piscarii fortitudo, nec Lanoyii auctoritas præcavere potuissent, si Gallorum exercitus fugien-

Sæc. XVI. fugientem ubique hostem strentue in-
 A.C. 1524. cutus fuisset (*). Potissimi enim ex
 Cæsaris exercitu ventris profluvio labo-
 rabant, longisque itineribus fatigati si-
 ne pecuniis, & pene absque armis e-
 rant; quippe ut iter majori celeritate
 conficerent, quicquid impedimento erat,
 in viam abjecerunt. Præterea urbs, ad
 quam confugerant, munimentis nuda,
 ac commeatu exhausta erat. Ast fata-
 le studium, quo Galliarum Rex clienti
 suo

(*) Non sine risu Lector animadverret, quod
 Continuator libro CXXVII. §. 49. & 60. nec-
 non lib. CXXVIII. §. 74. & lib. CXIX. §. 49.
 quinta & amplius vice Cæsaris exercitum unico
 halitu a Gallis devoratum fuisse enarrat: illius
 vero salutem unice occasione, qua Cæsareos ul-
 tima clade delere potuissent, a Gallis neglectæ
 adscribat, in quo sane bellicæ Gallorum virtu-
 ti parum consuluit, atque adversam Italicæ ex-
 peditionis sortem non sine nova ignominia ex-
 cusavit, cum ex suo Gaguino probe discere
 potuisset, quod *in bello bis peccare non liceat,*
 & victoriæ adversus Germanam fortitudinem
 non tam faciliter gladio quam calamo obti-
 neantur. Id tamen indulgendum Continuato-
 ri, qui ob tot clades genti suæ ilatas conce-
 ptum dolorem hoc effugio lenire studiose
 quæsit; quippe, ut inquit Curtius, *fama bella
 constant, & sæpe etiam, quod creditum est, vo-
 ri vicem obtinuit.*

fuo Boniveto in omnibus tum obse- Sæcul. XVI.
A.C. 1524.
cundabat, merito inter gravissima re-
censeri potest vitia, quibus Rex Regi-
minis sui felicitatem obfuscabat.

§. L.

*Franciæ Rex Mediolani re-
ceptus.*

Neglecta igitur hac occasione, Gallo-
rum Belliducum sententia eo abi-
bat, ut præprimis Mediolani possessio
Regi affereretur. Nec secundus deerat
consilio eventus; quippe nemine oblu-
ctante ad urbem admittebatur; cives
enim a Gallorum Rege prospera quæ-
vis, nec non mite regimen sibi pollicen-
tes, eundem non sine ingenti lætitiæ si-
gnificatione exceperunt. Honorabat
Rex urbem aliquamdiu præsentia sua,
tum ut militibus quietem indulgeret,
tum ut civium amorem sibi conciliaret,
quapropter eis quamcunque molestiam
inferri, severe copiis suis inhibuit.
Postea Trimollium in urbe cum sex ar-
matorum millibus reliquit, dato nego-
tio, ut arcem, cui Lanoyus validum
imposuit præsidium, interim cinctam te-
neret, donec toto armorum apparatu il-
la obsideri posset.

§. LI.

Hist. Eccles. Tom. XXXIV.

H h

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

§. LI.

*Papizæ obsidio a Gallorum Rege
inchoata.*

*Sandoz list.
de Charles V.
Mem. du
Bellai l. 2.
De Thou
list. l. I.*

Ceterum Cæsarei nuperam Gallorum
focordiam opportune in rem suam
vertebant; quippe Piscarius Laudam
non solum valido milite, sed & firmis
propugnaculis muniebat, Lanoyus vero
Comum & Trezzum, urbem Abduæ
flumini impositam præsidio firmabat,
nec segnior Antonius de Leva Papizæ
Gubernator ad strenuam urbis defen-
sionem sese parabat. Equidem in Re-
gio Senatu, Laudæ obsidio decreta e-
rat, quam si Galli suscepissent, Piscarius
Marchio (ut postmodum innotuit) ur-
bem reliquisset; ast Bonivetus Admi-
ralis rursus pro summo imperio, quo
Regis animum ad sua vota inclinabat,
eidem auctor extitit, ut Papizæ obsidio-
nem aggrederetur. Urbs hæc erat na-
tura & arte longè munitissima, valido-
que præsidio, præcipue vero Antonii de
Leva inter Cæsareos Belliduces claris-
simi, qui illius Præfectus erat, fortitu-
dine insignis. His non perterritus
Franciscus Rex urbem obsidere decre-
vit, suumque exercitum die decima o-
ctava Octobris in festo S. Lucæ admo-
vit, ipse vero in Abbatia Sancti Lan-
franci

franci medio ferme ab urbe lapide dis-

fita substitit.

Sæcul. XVI.

A. C. 1524.

§. LII.

*Vani conatus Galliarum Regis in
Ticino flumine ab urbe de-
flectendo.*

Ergo irruptio tentatur pari utrinque
dimicantium pertinacia, ac dispen-
dio; donec quinque vel sex Galli ad
diruti muri summitatem ascendentes
vallum sibi retro instare cernerent, sclo-
petariis undique munitum; cujus aspe-
ctu territi eadem celeritate qua ascen-
debant, pedem retulerunt. Equidem
Fuxus Marscallus assultum redintegra-
re voluit, atque equites ex equis desili-
re iussit, verum fortissimi hujus, quo
prior impetus successu suo frustrabatur,
munimenti formidine fractus, ulterius
progreduendo totum exercitus robur
certæ cladi expositum iri censebat, qua-
propter ex disjecti muri ruderibus de-
scendens, Regem de periculo certio-
rem fecit, qui & ipse ab hac expeditione
cessandum existimabat, eo vel maxime,
quod Roberti & Hutini de Mailly, Clau-
dii Aurelianensis Longevillæ Ducis, plu-
riumque aliorum impendio stetit. In
hac rerum vicissitudine Rex Ticinum
fluvium ab urbe Papiensi in alium cur-
sum

H h 2

sum

Sæcul. XVI.
A.C. 1524

sum derivare statuit. Hic ad superiorem civitatis partem in duos dispartitur canales, quorum amplior urbis mœnia alluit, alter vero, isque angustior Gravelona dictus longius ab urbe progreditur. Cum vero Galli urbem hac ex parte munimentis nudam animadverterent, eo quod aliunde amnis adeo profundus esset, ut nullo unquam tempore vado transiri posset, hinc sibi, si flumen ea parte, qua sese dividit, solito suo alveo dimoveretur, totumque in canalem Gravelonam abduceretur, facile persuadebant fore, ut urbs nullo ferme negotio superari posset, eo quod hac ex parte mœnia nullatenus congesta arena essent munita. Hujus ergo operis cura demandata erat Jacobo Sillyo Cadomi Prætori, qui tamen immensos pecuniarum sumptus, ac trium hebdomadarum tempus frustraneo labore impendit, eo quod hyemis rigor operas vix cœptas destrueret, amnisque nivibus ac pluviis intumescens pristinum alveum non relinqueret, elusis triginta omnino millium fossorum conatibus.

§. LIII.

Validæ supplicis a Borbonio adductæ.

*Ferron. hist.
Franc.*

Cum Cæsareis Belliducibus nunciatum esset, Regem Papiæ obsidionem

nem moliri, quantocius Borbonii Dux iterum iterumque Sabaudiaë Ducem obtestatur, ut mutuas ei pecunias daret, quibus acceptis in Germaniam equis veredariis delatus Norimbergam venit, junctaque cum Georgio Fronspergio opera ibidem inter trium hebdomadarum spatium copias conducere cæpit, nec sine optato successu; quippe Fronspergius decies mille veteranos milites collegit, eosque in Italiam duxit, Borbonius quoque pro parte sua in Wirtembergensi Ducatu itidem sex armatorum millia conscripsit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1524.

Guich. hist.

Sab.

§. LIV.

Pontificis consilia de induciis Gallos inter & Cæsareos conciliandis.

Verum Lanoyus & Piscarius tam exiguam hujus auxilii rationem habebant, ut nequidem expectato nuncio de successu itineris, quod Borbonius susceperat, eo absente quinquennales inducias a Papa propositas acceptarent: Obstitit tamen Galliarum Rex, præpediente eum Boniveto Admirale, cujus etiam contradictione compulsus Pontifex privatum cum Rege foedus sancire moliebatur, ministerio usus Alberti Comitis de Carpi, qui Sedis Apostolicæ

H h 3

nego-

Sæcul. XVI A.C. 1524 negotia apud Regem procurabat: igitur præcipuis articulis utrinque acceptatis Gilbertum Veronensem Episcopum ablegabat, ut is, qui prior inducias proposuisset, jam eis ultimam quoque manum admoveret, cum vero Episcopus Cæsareorum castra pertransire deberet, decretum est, ut ad occultandam veram itineris causam non jam inducias, sed omnino pacem sub iisdem tamen conditionibus Lanoyo proponeret. Ast ille cunctis hisce propositionibus furdas aures præbebat; quippe non ita pridem literas acceperat, quibus ei Borbonius significabat, Fronspergium jamjam Italiæ fines cum decem Germanorum millibus fuisse ingressum. Nec acrius instabat Veronensis Episcopus, cum & ipse Lanoyum Proregem ejusmodi consiliis obluçantem cernere gauderet, quocirca nonnisi publicæ securitatis literas petiit, obtinuitque, quibus munitus Regem adiit, qui foedus, cujus mox meminimus, ratum habuit.

§. LV.

Secreta Pontificis pacta cum Galliarum Rege.

Raynald. an. num. 96. Hujus Fœderis legibus Galliarum Rex fidem suam obstringebat, se Sedem Apostolicam, Medicæorum Familiam, nec-

necnon Florentiæ ditionem protectu-
 rum; vicissim Pontifex spon-
 datenus Cæsareis suppetias missurum, ac
 semetipsum, suam familiam, quæ tum
 non nisi Alexandro & Hyppolito Me-
 dicæis constabat, necnon Florentinos
 datæ fidei sponsores dedit: Sancitum
 præterea, hanc armorum societatem
 duntaxat Papæ vel Regis obitu dissol-
 vendam, nec alia solemnitate firman-
 dam, dummodo Galli in pacifica Medio-
 lanensis Ducatus possessione forent. Ex
 hoc fœdere nil in Sedis Apostolicæ
 commodum speciatiim cedebat, nisi quod
 Papa arbitrio suo relinqui peteret, ut
 hanc societatem, si bene visum fuerit,
 ceteris notam faceret, nec tamen ipsi
 Galliarum Regi integrum esset, aut eam
 aliis manifestare, aut discutiendam tra-
 dere. Sancito igitur utrinque hoc fœ-
 dere summus Pontifex Regi Christianis-
 simo auctor extitit, ut Neapolis Regnum,
 utpote præsidio destitutum invaderet,
 simulque eidem pollicebatur, se Gallis
 non modo transitum per Pontificias di-
 tiones concessurum, sed etiam Regis
 copiis toto itineris tempore annonam
 suppeditaturum (*).

§. LVI.

(*) Hujus facti testes adducit Continuator
 Raynaldum & Beccarium, horum primus loc.

Sæcul. XVI.

A. C. 1524.

Belcar. l. 18.

num. 15. & 16

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

§. LVI.

*Pars Regii exercitus ad Neapolis
Regnum a Francisco trans-
missa.*

Guicc. l. 15.
Mem. du
Bellai l. 2.

Hanc Pontificis oblationem Rex non sine animi sui lætitia acceptavit, ringentibus licet ejus Consiliariis; quapropter nulla mora ab exercitu suo se junxit quatuor peditum millia, sexcentos Cataphractos, ac quosdam levioris armaturæ equites, hujusque exercitus imperium Albanæ Duci demandavit, qui nuper elapso Vere e Scotia excessit. Hisce copiis Renceus de Ceri haud exiguum peditum numerum, quos maritimo itinere adducebat, Liburni jungere jube-

cit. asserit: non destitit Clemens pacis consilia urgere ad Neapolitanum Regnum Carolo V. asserendum, Belcarius vero itidem loco allegato testatur, Clementem Francisco Regi suasse, ne exercitum divideret, donec toto Mediolanensi Principatu potitus esset, nullamque regni Neapolitani, repetendi suspensionem moveret. . . . præterea Gallicis copiis in Regnum Neapolitanum profecturis transitum per pontificias ditionis Clementem denegasse, Franciscum nihilominus, ut accelerarent, & per Placentinum agrum iter instituerent, jussisse, non expectato Clementis responso idem auctor asserit.

jubebatur : Cum vero hæc agmina per pontificias ditones transire deberent, Clemens aliquamdiu, ut invitus crederetur, transitum negare simulabat; ac forte eam ob causam scripserat Guicciardinus, quod Clemens Francisco, ne hanc expeditionem susciperet, suaserit, non quidem studio affectus in Gallos, sed potius metu compulsus, ne Gallorum potentia, superato Mediolanensi Ducatu ac Neapolis Regno, in Italia plus justo cresceret. Nihilominus Bellajus, & Capella testantur, Clementem Pontificem Regi hujus expeditionis auctorem fuisse. (*) Forte Galliarum Rex nimia

Secul. XVI.

A. G. 1524.

Gale. Capella
Ant. de Vera
loc. cit. p. 99.

(*) Hæc itidem Continuator ex Belcario Merensi Episcopo minus fideli calamo descripsit, quocirca haud molestum sit Lectori ipsa hujus Scriptoris verba percipere : *Hujus expeditionis, inquit ille, Clementem Pontificem vel auctorem, vel saltem approbatorem e nostris Bellajus, ex Italis Galeatius Capella scribit: sed mihi Francisci Guicciardini potior sententia videtur, quam etiam Beguilio frater meus, qui tum adolescens Albanæ Reguli domesticus eidem bello interfuit, confirmavit: se enim ab eodem Regulo sæpius audivisse, Clementem Francisco suasse, ne exercitum divideret, nullam Regni Neapolitani repetendi suspicionem moveret: tot hostes Mediolanum ei*

H h 5

pepe-

Sæcul. XVI
A. C. 1524.

nimia facilitate sibi persuaserat, a Neapolitano Prorege, unice ut hoc Regnum conservaret, cuncta neglectum iri, eumque mox copias suas ex Mediolanensi Ducatu educturum, ut Albaniz Ducem insequeretur. Verum Prorex adeo non sibi timebat, Neapolis Regnum tot munitissimis urbibus firmatum a tam exiguo Gallorum manipulo expugnatum iri, ut nequidem amplius Papiam hostium manibus cessuram pertimesceret, quapropter toto bimestri, quo obsidio tenebat, nec propius quam prima die urbi accedere sollicitus erat.

§. LVII.

Aliud agmen versus Savonam a Rege ab exercitu avulsum.

Ceterum ex errore, quo Francisus exercitum suum adeo imminuebat, alius nascebatur; cum enim Renceus de Ceri agmina peditum, quos navibus impofuerat, Liburni Altaniz Duci jungeret

peperisse, quid si Regni Neapolitani cupiditas accedat? non ab ipso Pontifice postularet, quæ ex officio recusare cogeretur: se enim neutrans in partem provenfurum, nec ulla invidia societatis indicia professurum. Hæc artis Criticæ, non dicam Magistris sed vix discipulis cum Continuatoris selectu conferenda relinquo.

gere moliretur, in transitu Savonam occupabat, qui secundus armorum successus Francisci rebus propitius credebatur, verum eidem omnino funestus accidit; quippe ab exercitu suo rursus validum agmen avellere, ejusque imperium Salutarum Marchioni committere statuit, eo fine, ut Savonæ castra metaretur, indeque opportunis invigilaret occasionibus, quibus Genuenses invadere posset. Attamen exercitus vires, uno agmine Neapolin versus, altero ad Savonam destinato, tantopere imminutæ fuerunt, ut Cæsarei sine ullo periculi metu suas copias in aciem educerent, ac Papiensis urbis obsidionem Gallis minus expeditam redderent.

Sæcul. XVI.

A. C. 1524.

Mem. du

Bellai l. 2.

§. LVIII.

Origo Clericorum Regularium vulgo Theatinorum.

Quamvis profanarum rerum sollicitudo non parum Clementis animum detineret, nihilominus potissimum in eo curas intendebat, ut Ecclesiæ bonum promoveret; quapropter pari ac Prædecessor ejus, Religionis studio accensus, hoc anno die secunda Maji Constitutionem edidit, qua morum corruptelas tollere, abusus Romæ, ac in tota propemodum Italia invalescentes corri-

Bzou hoc an.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524

Joseph. Si-
los annal.

Cler. Regul.

Joan. Bapt.
de Sulfo hist.

della Relig.
dei Padri

Chier. Regol.

corrige, & præcipue Clerum pristino nitori restituere adlaborabat. Hujus rei causa Joanni Petro Carassæ Episcopo Theatino curam demandavit, ut Sacri Ordines nonnisi idoneis, & a vitiis, præcipue Simonix labe expertibus conferrentur. Deinde cum Papa intelligeret, quod Carassa Cajetanus, Paulus *Consiliarius* ex Ghisleriorum genere ortus, & Bonifacius a Colle velint ordinem Clericorum Regularium instituire, qui Clerum ad pristinam perfectionem, & ad Apostolicæ vitæ normam reducere studerent, ac præprimis proprio suo exemplo aliis prælucere, hinc Clemens Papa hosce Viros ad tam sancti operis executionem stimulat, pollicitus, se pro viribus eos protecturum.

Igitur novi hi Evangelicæ perfectionis Restauratores præprimis sua beneficia dignitatesque in Papæ manus resignabant. Ast ægre admodum Clemens eorum precibus annuit, nec ullo pacto Theatini Archiepiscopatus cessionem admittere voluit, tandem Archiepiscopi rationibus, aut potius precum importunitati cedere compellebatur. Ceterum horum quatuor Fundatorum institutum, ut auctoritate Apostolica firmaretur, in pleno Patrum Senatu propositum fuit, ubi haud leves difficultates opponebant Purpurati, quibus insolentunt

litum videbatur, quod novi hi Regula-
res non solum sine redditibus, fundisque, Sæcul. XVI.
A. G. 1524.
ut Religiosi ex Ordine S. Francisci, vi- Aubert. Mir.
de orig. Cler.
Reg. c. 2.
verent, sed insuper nequidem mendi-
cando sustentari vellent, seque obstrin-
gerent, quod ex solis ultroneis obla-
tionibus alerentur, cum tamen emer-
gentes vitæ necessitates nec prævideri,
nec sæpe cogitatione præveniri possent.
Verum Caraffa & Cajetanus hanc vi-
vendi normam Apostolis primisque
Christi Discipulis consonam esse tanta
verborum vi exponebant, ut denique
petitam approbationem obtinerent, ac-
cepto hanc in rem Pontificis diploma-
te, quod vigesima quarta Junii die Anno
Salutis millesimo quingentesimo vige-
simo quarto editum est.

§. LIX.

*Quatuor Fundatores concedente Papa
sua vota emittentes.*

Hac Bulla Pontifex quatuor illis vi- Bullar. to. I.
Clem. VII.
Const. II.
ris facultatem concessit, ut tria vi-
tæ Religiosæ vota Paupertatis, Castita-
tis, & obedientiæ profiterentur, & in
communi viverent, solito tamen habitu
Clericali indui necnon constitutiones
condere, ac privilegiis Canonorum
Regularium Lateranensium gaudere, &
Superiorem, quem Præpositum nomina-
rent,

Sæcul. XVI
A.C. 1524.

rent, ac singulis trienniis alium eligerent, habere possent. Præterea illis concessum, ut cunctos, quicumque id vitæ genus profiteri vellent, recipere, ac pro stabili regularis disciplinæ observantia statuta condere valeant. His ita dispositis quatuor illi Viri die decima quarta Septembris hoc anno in festo exaltationis S. Crucis in Joannis Baptistæ Casertani Episcopi, & Datarii Apostolici manibus præfati instituti vota emisserant, ac post Sacrum ab eodem Episcopo celebratum, porrectamque eis Sacram Eucharistiam in primum suum Præpositum Joannem Petrum Carassam elegerunt, quem idem Episcopus Casertanus confirmavit. Nominabatur passim hoc institutum Ordo Clericorum Regularium, seu Theatinorum, a præcipuo illius auctore Carassa Archiepiscopo Theatino, qui idem nomen semper conservabat. Ceterum hi quatuor Fundatores post emissâ vota sese receperunt ad Campum Martium in quamdam domum, quæ Bonifacii de Colle erat, ubi vitæ suæ dies in assiduis partim activæ partim contemplativæ vitæ exercitiis transegerunt.

§. LX.

§. LX.

Sæc. XVI.
A.C. 1524.

*Viri Apostolici a Papa in Mexicum
missi.*

Hoc anno Clemens Papa Martinum patria Valentinum Virum vere Apostolicum cum duodecim Fratribus Minoribus in Mexicum decrevit, ut hanc gentem ab Idolorum cultu abstraherent, atque ad fidem Catholicam perducerent. Hi Viri Apostolici ingentes profus in hac Regione progressus fecere, potissimum adjuti pietate Ferdinandi Cortesii, qui adhucdum in hac insula agens summo honore Sacerdotes excepit, suoque exemplo Mexicanos induxit, ut hocce Verbi divini Præcones non sine magna submissione auscultarent.

*Raynald.
hoc an. n. 112.
& 113.*

§. LXI.

Synodus Mexicana.

Collecta igitur copiosa animarum segete iidem Viri Apostolici hoc anno in urbe Mexicana Synodum habuerunt, in qua plura condiderunt decreta, ut fideles pro suscipiendo baptismo rite instituerentur, ac in fide, quam amplexi fuissent, immoti conservarentur. Præsuit huic Synodo Martinus utpote Papæ Nuntius præcepitque, ut Mexicani,

*Raynald. ib.
Spond. ann.
1524. n. 18.*

Sæc. XVI.
A.C. 1524.

ni, cum antea polygamia inter eos admodum frequens esset, imposterum ubi Christo nomen dedissent, ex pluribus uxoribus, quas prius habuissent, unam duntaxat, quam vellent, ritu Christiano ducerent: Ut vero hæc statuta eo efficacius executioni darentur, Ferdinandus Cortesius in singulis Provinciis Gubernatores nominavit, ipse vero postea Mense Octobri, ut novas terras detegeret, hujus anni expeditionem confecit, secumque Quahutimocum Mexici Regem, aliosque Proceres, ne quid se absente novarent, secum abduxit.

§. LXII.

Novæ Franciæ detectio.

*Spond. ann
hoc n. 19.
Ramus to. 3.
in fin.*

Eodem anno Joannes Verrazanus patria Venetus, aut ut alii volunt, Florentinus sub Francisci Galliarum Regis auspiciis navigationem in partes Septentrionales suscepit, legitque cursu suo totum illum tractum usque ad Floridam, postea vero detexit Insulam, & promontorium Britonum. Hujus Regionis incolæ communi nomine Canadenses vocantur: ipsa vero provincia hodie Nova Francia dicitur, quæ Sinus S. Laurentii Insulas complectitur, præter omnes illas, quæ Casperiam cingunt, quas inter præcipuæ sunt Insula Regalis

lis seu Britonum Caput, Terra Brado-
 ra, totusque tractus fluminis S. Lau-
 rentii, necnon Mississipiensis versus Se-
 ptentrionem usque ad quadragesimum
 gradum: ut silentio prætereantur ce-
 teri fluvii, qui sese in illud infundunt.
 Has igitur regiones cunctas Verraza-
 nus Francisci I. nomine sibi subjecit;
 cum vero aliam rursus navigationem
 suscepisset animo ulterius penetrandi,
 a barbaris unacum aliis sociis suis oc-
 cibus ac devoratus fuit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1521.
1521

§. LXIII.

*Dissensio inter Cæsarem, & Lusita-
 niæ Regem de Moluccis
 Insulis.*

Postquam Magellanes Moluccorum
 insulas, quæ haud procul a linea æ-
 quinoctiali in Asia Indorum mari im-
 positæ sunt, detexerat, nova hæc feli-
 citas Hispanos inter & Lusitanos ferve-
 ðe contentions fomitem suppeditavit.
 Enata est hæc dissensio jam Anno Chri-
 sti millesimo quingentesimo vigesimo,
 recruduit vero vehementius quam un-
 quam hoc anno millesimo quingente-
 simo vigesimo quarto. Definierat equi-
 dem Alexander VI., ut Lusitani ad O-
 rientem, Castellani vero ad Occiden-
 tem terras incognitas perlustrarent, de-
Hist. Ecclesiast. Tom. XXXIV, li. 11. te-

Raynald. an.
 1524. n. 109.
 & 110.
Osor. l. II.
 & c.
Pet. Martyr.
 dec. c. 7. &
 deci 6. c. 9.
Aut. Vera
 .. cit. p. 90.

Sæculi XVI. tectasque tanquam suas possiderent,
A.C. 1524. Verum Lusitani Insulas quoque, quas
 Magellanes detexerat, intra limites ab
 Alexandro designatos contineri con-
 tendebant: Hispani ex aduerso affir-
 mabant, Moluccas Insulas extra li-
 neam illam, quæ ab utroque Polo
 Orientem ab Occidente dividit, sitas
 esse. Jus quoque suum prosequeba-
 tur Cæsar: cum vero Emanuel cedere
 renueret, Carolus V. pro tuenda
 causæ suæ iustitia exercitum in hanc
 regionem misit, nec tamen ex eo lis
 dirempta fuit, eoquod de Alexandri VI.
 decisione variarum gentium Reges que-
 rerentur, causati, quod is de bonis,
 quæ sui juris non essent, disposuerit,
 cum Jus Naturæ absque Pontificum
 consensu terrarum incognitarum pos-
 sessionem adire permetteret. Nihilo-
 minus tractu temporis Lusitani Hispa-
 nos inde propulsarunt, qui tamen ipsi
 postmodum ab Insulæ incolis vix
 non penitus ejeti fuerunt, adstipulanti-
 bus Hollandis, qui totam propemo-
 dum regionem, ac præcipue portum,
 & commercii opportunitatem ac pro-
 ventus hodie sibi vendicant.

§. LXIV.

Jubilæi inchoatio.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

Ad finem hujus anni die vigesima tertia Decembris Clemens Pontifex edita Bulla inchoationem Jubilæi in vigiliam Nativitatis Domini die sequenti futuram promulgavit, simulque plenissimam pœnarum condonationem indulgit omnibus, qui de more Basilicas sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris visitarent. Aperuit autem ipsemet pro consuetudine in primis ejusdem festi vespere ritu solemniter *Portam*, quam vocant *sanctam*, misitque Cardinales quosdam ad alias Ecclesias, ut in earum singulis idipsum præstarent. Minor erat hoc anno Romam peregrinantium concursus; plurimos enim absterrebant bella, quibus Italia foede vastabatur, insuper etiam hujus Indulgentiæ existimatio nimia frequentia vilescere cæperat.

Bull. antiq. edit. tom. 1. Clem. VII. Const. 9. & 10. Raynald. an. 1525 n. 1. Spond hoc ann. 1524. num. 20.

§. LXV.

Completa Erasmi Paraphrasis in novum Testamentum.

Eodem hoc anno Erasmus Paraphrases suas in novum Testamentum complevit. Is cum primam operi manum

Li 2

admo-

Sæcul. XVI admovisset, non nisi D. Pauli Epistolam
A C. 1524 ad Romanos explanare intenderat, imo
 cum vix prima duo illius capita absolvet,
 virium suarum imbecillitati diffi-
 sus, a cæpto labore desistere cogitabat;
 verum amicis suis animum addentibus
 non modo Epistolæ ad Romanos Para-
 phrasin absolvit, sed insuper omnes D.
 Pauli epistolas, ac postmodum ceteras,
 quæ Canonicæ vocantur, præter qua-
 tuor Evangelistas, & acta Apostolorum
 fusius explicavit. Hoc opus pure ac
 eleganter conscriptum est, ac primo a
 non paucis cum applausu exceptum;
 postea vero a plurimis censoriæ severi-
 tatis nota perstringebatur; nam ipse eti-
 am Natalis Beda Parisiensis Facultatis
 Theologicæ Syndicus in hisce Paraphra-
 sibus plurimas hæreses contineri affir-
 mabat, hancque in rem contra hujus
 Doctoris libros Anno Christi millesimo
 quingentesimo vigesimo quarto suo no-
 mine censuram promulgavit.

Paulo post Mense Aprili ejusdem anni
 Beda generatim Erasmi doctrinam dam-
 navit, declaravitque, eam in pluribus es-
 se erroribus obnoxiam, bonis moribus
 contrariam juxta ac schismaticam, &
 præterea Religionis honori noxiam,
 eamque Status Monastici existimationi
 præjudiciosam affirmabat, proin horum
 libro-

librorum lectionem præcipue Religiosis Sæcul. XVI.
interdicendam. Id vero probatum red- A. C. 1524.
diderat ex ipsis articulis, quos ex Eras-
mi libris deprompserat, eorumque non-
nullos eidem Scriptori exhibuerat: Pri-
usquam vero hosce articulos publici ju-
ris faceret, hanc censuram a Guilielmo
de Quercu Parisiensi Doctore subscribi
voluit.

§. LXVI.

*Censura Facultatis Theologicæ Pari-
siensis de juribus Episcoporum.*

Die decima tertia Junii Ludovicus Argent. coll.
Combout, seu Cobot ex Ordine jud. de nov.
FF. Prædicatorum, cum is sub Henrico err. t. 2. p. 5.
Fabry Præsidio in quadam disputatione, Dupin. bibl.
quam *Aulicam* vocant, responderet, hanc des Scav. tom.
propositionem enunciabat; 13. p. 215.
*Licet Episco-
pus, qualis inter Apostolos solus Petrus a
Christo fuit immediate consecratus, curatus
vero jure positivo institutus, quoniam nec
Episcopus quisquam, Petro dempto, imme-
diate est a Christo institutus.* Displicuit
hæc propositio cunctis adstantibus, ac
inter eos Magister Guilielmus de Quer-
cu Pro-Decanus, qui tum utpote senior
Regentis officio fungebatur, ex thesin
propugnante sciscitabatur, *an vellet stare
decisioni Facultatis, alias circa præsentem
materiam factæ,* respondit Religiosus,
quod mens sua huic sententiæ consona
esset;

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

esset; cum vero ejusmodi responso datam offensionem haud plene reparatam existimarent nonnulli, Natalis Beda Syndicus ad plurimorum Seniorum preces Religiosum coram Deputatis a Facultate missis comparere jussit, eumque interrogavit, *sciretne præfatæ Facultatis decisionem?* Comparuit ille die decima octava Junii, responditque, *se hoc nescivisse*, subjunxit tamen, *velle se stare, atque in omnibus parere Facultatis decreto*. Post hæc jubebatur, ut in prima Sorbonica, ut vocant, propositionem suam revocaret, ac contrariam tueretur, quam ei Facultas traderet, *hoc adjecto, quod oppositam tenere non sit probabile*. Alteram hujus sententiæ partem Religiosus accepit, ac in sua Sorbonica, quam sequenti die decima quinta Septembris habuit, contrariam propositionem defendit hujus tenoris: *Quemadmodum Petrus a Christo summus Pontifex ordinatus fuisse creditur, & quilibet ceterorum Apostolorum ab eodem Christo, nullo mediante, Episcopus creatus, & Curatorum Ordo institutus, eodemque jure divino triplicem illum Hierarchicum Ordinem Ecclesia tenet, nec horum opposita (cum certum sit Evangelicæ veritati illa refragari) possunt probabiliter suslineri.*

§. LXVII.

§. LXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.*Alia Censura contra Simoniam.*

Alia insuper propositio de Simonia hoc anno censura fuit notata, quam Martinus de la Serre, Baccalaureus propugnavit in Aulica, ut vocant, disputatione, cui præfuit Nicolaus Martelus. Propositio hæc erat sequens: *Fidelis beneficium, non autem officium Ecclesiasticum, absque Simonia labe locat.* Equidem Baccalaureus hanc propositionem in sensu orthodoxo ac sano explicare conabatur, nihilominus postulante Beda Syndico altera post disputationem die vigesima quinta Novembris Facultas Theologica habito conventu hanc propositionem examinavit, damnavitque Baccalaureum ad eandem pœnam, qua nuper Comboutum castigabat, Ergo ille coram congregatis prima Decembris die sistitur, atque a Natali Beda admonitus, ne deinceps cum offensione populi doctrinas suas proponeret, oppositam propositionem propugnare jubebatur, hujus tenoris: *Fidelis nec beneficium, nec Ecclesiasticum officium absque Simonia labe locat: imo oppositum asserere, erroneum est.* Paruit iussis Baccalaureus, atque in responsione magna, ut nominari solet, Ordinaria die decima quarta Fe-

Argent. 16.
p. 6.

Sæcul. XVI. Januarii Anno sequenti prælatam asser-
 A C 1524. tionem enunciavit.

§. LXVIII.

Censura in librum, cui titulus:
Determinatio sacrae Facultatis.

Argent p. 7. Præterea nonnulli ad eandem Facul-
 tatem librum deferebant sub nomi-
 ne *Determinationis sacrae Facultatis Pari-*
siensis super certis propositionibus. Hic li-
 ber sine Doctorum approbatione Parisiis
 prælo commissus a Facultate Theologi-
 ca examini subiciebatur, ac in Religio-
 nis opprobrium conscriptus censebatur:
 quapropter Facultatis Doctores triginta
 quinque propositiones extraxerunt, quas
 ad Parlamenti Curiam detulerunt, ut
 hic liber velut libellus famosus damna-
 retur.

Tenor autem propositionum erat hic:
 I. *Maria non potest dici Regina misericor-*
diæ, nisi sit superior Deo. II. *Evangelio*
repugnat, Mariam meruisse portare Chri-
stum. III. *Sancti, qui adhærent Deo, illi*
adeo agglutinantur, ut nihil sentiant, aut
velint, nec moveantur, nisi quod Deus in
ipsis sentit, movet, & vult. Quare oportet,
quod Deus esset noster Servus, cum
debeamus rogare Deum, ut moveat Sanctos,
qui possint pro nobis orare, aut nos juvare.
 IV. *Præter Scripturam inventum est San-*
 ctos

dos orandos. V. Preces ad Sanctos zizania, & malum semen. VI. Christiani de-
 cepti per Papam adorant diabolum, in ima-
 ginibus ligneis & aliis picturis & ossibus
 mortuis ex his idololatriam exhibentes. VII.
 Nemo in tota Scriptura oravit mortuos, ut
 pro se orarent, sive essent Sancti, sive non.
 VIII. Festa solum in laudem & honorem
 Dei ponenda sunt, quia ponere in honorem
 Sanctorum est vergere ad Judaismum aut
 Paganismum. IX. Dedicatumum Festa pri-
 scis gentilia. X. Ex eo merito condem-
 natur Eunomius, quia habet nimis bonum
 nomen, & Vigilantius, quia nimis vigila-
 vit in Biblia, ponitur in libro Hæretico-
 rum. XI. Nisi juxta viam gentium ire ve-
 limus, nec faciendæ sunt imagines, nec ali-
 qua incurvatio ante illas faciendæ. XII.
 Ineptissima assutura Canonis. XIII. Ex-
 communicati sunt Papæ per S. Paulum.
 XIV. Lutherus soli hæret Evangelio, &
 nihil prædicat nisi Christum. XV. Chri-
 stiani nullum habent Sacrificium, nisi pro-
 prium Corpus, nec Altare. XVI. Scri-
 ptura sancta, & Biblia libri sunt hæretico-
 rum, & errantium. XVII. Tota institu-
 tio Missæ, quæ nunc observatur, a Christi
 primitivæque Ecclesiæ institutione aliena est.
 XVIII. Sacerdotes isti, qui sacrificant,
 sunt Sacerdotes Baal, non Dei; nam nobis
 non est Sacrificium, nisi proprii Corporis.
 XIX. Non potest esse Missa alicujus San-
 cti,

sæcul. XVI.
 A. C. 1524.

Sæcul. XVI
A.C. 1524 *lli, nec fieri in honorem alicujus Sancti: & hoc facere est blasphemia in S. Sacramentum Eucharisticæ. XX. Purgatorium nullum ex Scriptura probari potest post mortem, nec præcipitur nobis, quod pro defunctis oremus, sed solum pro vivis. XXI. Papa facit homines Redemptores sui pro pecunia, quod est blasphemare Christum; cum solus Christus sit nobis Redemptor. XXII. Presbyter, qui non habet uxorem, non debet fungi officio suo. XXIII. Insanæ sunt Consecrationes nil nisi Judæismum præ se ferentes. XXIV. Mandata hominum non sunt observanda. XXV. Judicia Christianis sunt prohibita. XXVI. Papa ex Canonibus est manifestus Antichristus. XXVII. Manifestum est, quod totum jus canonicum est hæreticum, & quod totus mundus est hæreticus. XXVIII. Omnes Papæ Hæretici, nec possunt excommunicare. XXIX. Papa est major Christo. XXX. Papa non est judicandus, quia Deus. XXXI. Omnes, qui prædicant Evangelium, sunt hæretici. XXXII. Laici contra jus divinum ab electionibus secluduntur. XXXIII. Attribuit hominibus impie tres personas Trinitatis individuae. XXXIV. Christiani adorant imagines. XXXV. Per Deum, si Rustici scirent, quæ Sacerdotes dicunt de Canone, ipsi non darent unum stercus pro Missa, nec de omnibus Memento Missæ.*

Erro-

Erroribus ita expositis, ac percepta Sæcul. XVI
A. C. 1524.
 Procuratoris Generalis relatione, su-
 premæ Curix Senatores duobus Consi-
 liariis Nicolao Dorigny, & Guilielmo
 Burgesio negotium dederunt, ut in ip-
 sum factum, atque articulos ex hoc libro de-
 ceptos inquirerent, simulque injungere Pari-
 sienti Episcopo, ejusque Vicariis, ut literas
 monitorias decernerent contra omnes, qui ha-
 bent, & detinent præfatum librum, eosque
 adstringerent, ut eum infra triduum sub ex-
 communicationis pœna ad criminale forum
 dictæ Curix deferant, ac revelent, dicant &
 manifestent singulos, qui prædictum librum
 composuerunt, impresserunt, & vendiderunt,
 aut quicquam hac de re sciunt. Lata est hæc
 sententia in Parlamenti Curia die no-
 na Decembris: Literæ autem, ut vo-
 cant, monitoriæ Parisiensis Officialis
 publicatæ fuere decima ejusdem Mensis
 die.

§. LXIX.

*Plurium Cardinalium obitus, ac pri-
 mo Soderini Cardinalis.*

Eodem hoc anno sacrum Purpurato-
 rum Collegium plurium Cardinalium
 obitum planxit; Hos inter primus erat
 Franciscus Soderinus, ex profapia inter
 Florentinos nobilissima genitus. Patrem
 is habuit Thomam Reipublicæ Orato-
 rem ad Paulum II. Papam, cujus cura
 libe- Ciacon. in A-
lex. VI. p.
203.
Victor. in ad-
dit. Ciac.
Joan. Nal-
dini hist.
Florent.
Aubery vie
des Cardins

Sæcul. XVI

A.C. 1524

liberaliter educatus, tractu temporis omnium humanarum scientiarum genere peritissimus evasit; nam Pisis emenso Philosophiæ curriculo Jurisprudentiæ se impendit, ac utrumque Jus incredibile auditorum frequentia tradidit, quamvis Philippus Decius acerrimus illius Æmulus esset. Dein renunciabatur a Sixto IV. Pontifice Episcopus Volateranus, indeque licet jamjam S. Collegio adscriptus esset, semper Cardinalis Volateranus nuncupatus est. Alias præterea tractu temporis obtinuit Ecclesias, nimirum Nannetensem, Cortonensem in Etruria, Vicentinam, Narniensem, & Anagninam, ac denique Legationem in Campania accepit. Interfuit quoque Pontificiis comitiis, in quibus Clemens VII. electus fuit, a quo ad Ostiensem Episcopatum translatus, die decima septima Maji Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto ætatis vero suæ anno septuagesimo ex hac mortali vita excessit, & sepultus est in Ecclesia S. Mariæ de Populo. Scripsit is quasdam in Jus Pontificium annotationes, sed impolitas, minusque elaboratas, eoque extremam illis manum admovere haud ultra posset.

§. LXX.

§. LXX.

*Cardinalis de Flisco fata.*Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

Alter erat Nicolaus de Flisco, qui se-
 quenti Mense Junio die decima vi-
 vis ereptus est. Is erat Franci de Flisco
 Lavanniæ Comitis frater, ac præfuit in
 Gallis Tolonensi, & Foro-Julienſi Eccle-
 siæ, necnon Ebredunenſi Archiepisco-
 patui, quamvis ad eandem Sedem Clau-
 dius de Arces Canonorum suffragiis
 electus fuisset. Obtinuit præterea in Ita-
 lia Ravennatis Archiepiscopatum, su-
 umque Nepotem Urbinum de Flisco sibi
 Successorem nominavit, qui tamen præ-
 matura morte Patrum suum præcessit.
 Hujus Cardinalis probitatem plurimum
 commendant Scriptores, eamque is cre-
 bro specimine testatam fecit, præcipue ubi
 constanti animo sese Alexandro VI. op-
 posuerat, qui Tifernensem Episcopum,
 licet innocentem, sede sua movere mo-
 liebatur. Præterea Apostolica prorsus
 libertate Julium II. ad bella nimis pro-
 pensum redarguebat. Post hæc cum A-
 drianus VI. quosdam alios a secretiori
 consilio haberet, quibuscum negotia de-
 cidebat, Nicolaus eundem admonere
 haud dubitabat, ut deinceps pro Præ-
 decessorum suorum more sacrum Colle-
 gium ad consilium vocaret, nec priva-
 tim

Ciacon. l. 6.

p 204.

Foglieta in
elog.Paul. You.
in Adrian.

VI.

Sammarth.
Gall. Christ.Aubery l. c.
Rucæus hist.

Ravennat.

Sæcul XVI
A.C. 1524.

tim decerneret, quæ Christianæ Reipublicæ minus proficua essent. Obeunte hoc Pontifice magna suffragiorum pars in illum inclinabat, multique eidem auctores erant, ut eos, qui ejus electioni obsisterent, largitionibus ad se attraheret, quinimo ea de causa ab ejus propinquis ingentem pecuniæ summam fuisse collectam referunt nonnulli. Ast ille adeo nefaria suadentes indignabundus a se repulit, rem Viro summæ integritatis ac virtutis studiosissimo indignam detestatus.

§. LXXI.

Cornarii Cardinalis extrema.

Ciacon. l. c.
 p. 200.

Petr Justin.
 in hist. Venet.

Andr. Vid.
 Bembo in ep.
 Pauvin. de
 Rom. Pontif.
 Aubery l. c.

Eadem die decima Julii, eodemque anno mortuus est Marcus Cornarius, seu Cornelius itidem Cardinalis, filius Georgii, qui fuit frater Catharinæ Cypri Reginæ, ac Marci Cornarii Venetorum Ducis Nepos. Is ex Protonotario Apostolico mox Cardinalis Diaconus, primo S. Mariæ in *Porticu*, dein S. Mariæ in *via Lata*, demum Presbyter Cardinalis tit. S. Marci, ac Basilicæ Vaticanæ Archipresbyter renunciatus fuit. Præclara Venetorum Reipublicæ præstitit obsequia, eamque in Julii Papæ gratiam reduxit. Leo X. perspectis viri meritis eundem Patavinum, ac postea Venonem

ronensem Episcopum, necnon Constantinopolis Patriarcham nominavit: Cardinalium vero Collegio adscriptus Albanensem ac Prænestinam Ecclesiam adeptus est: Cum vero sacrae Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus esset, incumbere ei negotium, ut Adrianum VI. & Clementem VII. summos Pontifices inauguraret, quem etiam Leo X. ubi Patavinum illi concessit Episcopatum, plurimum commendavit epistola ad Leonardum Lauredanum Venetiarum Principem scripta, his verbis: *Cum vellemus, inquebat Papa, Ecclesiæ Patavinæ aliquem ex tuis Civibus præficere, nemo ea nobis dignior Marco Cornelio est visus; tum quod multis, maximisque virtutibus præditus sit, tum etiam, quia is omnibus Reipublicæ difficillimis, durissimisque temporibus nullum unquam laborem evitavit, nulli rei pepercit, ut illi vel commodo, vel ornamento esse posset.* Initio Episcopatus sui in adipiscenda reddituum possessione per Cives Veronenses objecta illi difficultas fuerat, quam tamen non modo feliciter sustulit, sed etiam eos maxime, quos pertinacius adversantes habuit, sibi conciliavit. Postea cum pestilentia Romæ aliisque urbibus vehementer grassaretur, propinquorum precibus Venetias evocatus, ibidem febre correptus brevi post

post

Sæcul. XVI. post adventum suum decessit. Sepul-
 A. C. 1524. tus est in Ecclesia S. Georgii.

§. LXXII.

Pallavicini Cardinalis mors.

*Ciaco. in vita
 Leon. X. p.
 352.
 Aubery l. c.
 Bemb ep. l. 1.
 ep. 13.
 Panvin. de
 Rom. Pont.*

Denique itidem hoc anno obiit Cardi-
 nalis numero quartus Joannes Ba-
 ptista Pallavicinus, patria Genuensis,
 Cypriani Pallavicini, & nobilis ex Græ-
 cia Matronæ filius, nec non Nepos Car-
 dinalis sanctæ Praxedis, qui Romæ an-
 no millesimo quingentesimo septimo fa-
 tis functus est. Natus est Joannes Ba-
 ptista, dum parentes ejus in mari navi-
 garent. Præclara illius auspicia laudem
 multo majorem, ac nominis gloriam ob
 insignem rerum gerendarum dexterita-
 tem ei peperissent, nisi tanti viri virtutem
 fatalis naturæ necessitas, cui in oppido
 Fabricæ florentibus in annis quarta de-
 cima Augusti succubuit, Orbi invidif-
 fet; magnis tamen animi dotibus com-
 mendatum nonnisi triginta septem an-
 nos natum Leo X. Anno Christi millesi-
 mo quingentesimo decimo septimo in sa-
 cri Collegii ordinem adlegit: Vivente
 vero adhuc Patruo suo Episcopus Caval-
 licensis renunciatus est, quo in munere
 cunctas veri Pastoris partes sedulo ex-
 plevit; nam incumbabat non sine ingenti
 omnium applausu publicis Sedis Apo-
 stolicæ

stolicæ negotiis non solum sub Leone Pa-
 pa, sed etiam sub Adriano VI. & Cle-
 mente VII. Paucis ante obitum diebus
 testamentum condiderat, vi cuius templo
 S. Mariæ Annunciatæ extra urbem, nec
 non Ecclesiæ Monasterii S. Michaelis de
 Clusa amplissimos redditus donavit: Præ-
 terea pro perficienda, quam vivens in-
 cæperat, Ecclesia S. Apollinaris mul-
 tum pecuniæ legavit, ac quatuor Ca-
 nonicatus, totidemque Præbendas in
 eadem Ecclesia erigi iussit, quarum no-
 minationem, ac præsentationem ad pro-
 pinquos suos, institutionem vero ad
 Cardinalem tit. S. Apollinaris pertine-
 re mandavit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1525

§. LXXIII.

Indignatio Cæsaris contra Papam.

Postquam Galli Pontificis ditiones in-
 grediebantur, summus Pontifex fœ-
 dus cum Francisco Rege initum occult-
 tare, haud ultra sollicitus erat, sed il-
 lud velut recens factum promulgabat,
 eodemque tempore ad Carolum V. in
 Hispanias Legatum decernebat, qui
 eum de re gesta edoceret, ac Papam
 ad id necessitate compulsam significa-
 ret. Imperator, quamvis ceteroquin
 moderati admodum animi esset, gravis-
 simæ tamen, quam adversus Papam
Hist. Eccles. Tom. XXXIV. K. k. con-

Guic. 1. 15.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

conceperat, indignationi suæ hac occasione temperare non poterat, sed Legato respondit in hunc ferme modum: Sat perspectum habemus, Papam nobis minus propensum esse, quocirca ejus monita ex sincero animo proficisci, haud ultra credere valemus, postquam communis Patris officium exiit, ac partium studio abreptus, cum hostibus nostris sine omni causa ac culpa nostra foedus pepigit. Ceterum nonnisi ad Leonis X. preces Italiam defendendam suscepimus, ac ipsum quoque Clementem adhuc memorem fore arbitramur, quod ipsemet Adrianum VI. ad firmandum nobiscum foedus impulerit, unde sat mirari haud possumus, quod summo sub discrimine nos deserere, totamque belli, quod ipse suscitaverat, molem solis nobis relinquere velit: Confidimus tamen in Domino, quod omne periculum eluctaturi simus, salvo nostro honore, ac non sine ingenti confusione eorum, qui per summam ignaviam terga vertunt. Hoc responsum Imperator ad Sueffæ Ducem, suum apud Papam Legatum Romam scripto transmisit, dato negotio, ut illud ipse ad Clementem deferret.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1525.

Fœdus Galliarum Regis cum Ferrariensi Duce.

Interea Franciscus Galliarum Rex obfirmato prorsus animo Papiensem obfidionem prosequabatur, sed tamen hucusque leve admodum damnum urbi intulit, quamvis ceteroquin præter hunc Monarcham forte vix alius quisquam Belliducum magis assiduus, in labore strenuus, ac animo intrepidus unquam visus fuisset. Inibat insuper fœdus cum Ferrariensi Duce, eique pollicebatur, se eum semper protecturum, ac eidem, si septuaginta aureorum millia suppeditaret, auxilio futurum, ut Ducatum suum recuperaret. Paucis ante hoc fœdus diebus exeunte anno priori obsidentes pulveris pyrii penuria laborabant, is vero cum Lugduno vix advehi posset, Galli Ferrariæ Ducem, cujus armamentarium inter cetera Europæ longe instructissimum erat, supplices adeunt, rogantque, ut pacto viginti aureorum millium pretio non modo pulverem pyrium, sed & belli machinas ad castra mitteret. Annuit Dux; unde petita pulveris, armorumque subsidia nullo obstante ad Parmensem & Placentinam ditionem bobus devehi iussit, præsidia agentibus, ducentis levioris armaturæ Equitibus,

Sæcul. XVI.
A.C. 1525. ac mille quingentis peditibus, quos Jo-
annes Medicæus ducebat; nam hic ob
denegatam Cremonensis urbis præfectu-
ram sese vindicandi occasionem quære-
bat, aut forte clam a summo Pontifice
cognato suo stimulabatur, ut Gallorum
stipendia mereretur. Equidem Piscarius
ab exercitu suo sexcentos Lancearios,
atque octo peditum millia avulserat, ut
Pado Cremonæ trajecto nitratum pul-
verem interciperet, verum cum Montic-
celli nuncium acciperet, quod Fuxus
Marescallus ipsius hostis instaret, pe-
dem referre, ac commeatui liberum
transitum permittere cogebatur.

§. LXXV.

*Classis Cæsarea profligata, Moncada
captus.*

Ant. de Vera
hist. de Charl.
V. p. 91. Sequebatur hunc successum brevi alius
Gallis magis proficiuus; nam Cæsa-
rea classis, cui Hugo Moncada præerat,
Savonam suæ subjecerat potestati, tam-
que amplo imperio totum Genuensis ma-
ris tractum obsidebat, ut omnem aditum
illis interciperet, qui vel obsidentibus sup-
petias ferre, aut Albanicæ Ducis exercitum
novis militum supplementis augere moli-
rentur: Cum ergo hæc classis non nisi
tentato prælii discrimine propelli pos-
set, Andreas ab Auria, ut eam invade-
ret,

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

ret, jubebatur. Is erat patria Genuensis, ac jamjam triginta tribus abhinc annis Gallorum vexilla sequebatur; accepto itaque mandato die prima Januarii Anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo quinto Tolonii classem suam veteranis militibus, quos in Provincia collegerat, instruxit, secumque duxit Saluciarum Marchionem, ac Renceum de Ceri. Dein aliquamdiu ad Antipolis moenia sese receperat, donec subsidentibus ventis secundus Auster afflueret, postea vero expansis pleno sinu velis recta Moncadam petiit, ac Verolum percurrens illum offendit, ubi diuturnum non minus ac cruentum fuit utrinque prælium, Auriensis tandem flexuoso classis suæ cursu hosticas naves ad scopulos sibi haud satis cognitos tam violenter impexit, ut sese dedere cogerentur, atque tandem victoriæ summa penes Gallos staret, non sine magno Cæsareorum damno, quorum cunctas naves, quas unda non hauserat, Gallus occupabat, atque ipse Moncada in prætoria capiebatur. Hunc Auriæ Dux Galliarum Regi dono dedit, qui tamen captivum, eo quod ipsum inter Cæsaris Belliduces virtuti nemini secundum suspiceret, non sine ingenti affectus significatione excepit. Parta hac victoria Savona, ceteræque urbes ad Genuæ oram sitæ fuerunt

Sæcul. XVI. runt recuperatæ, & Renceus de Ceri
 A. C. 1525. tria armatorum millia in sinu Specciae
 excendere jussit, indeque nullo prope-
 modum obsistente copias suas Albaniae
 Duci conjunxit.

§. LXXVI.

Papiensis obsidio continuata.

*Guic. l. 15.
 Mem. du Bel-
 lai l. 2.
 Ant. de Vera
 l. c. p. 93.*

Franciscus Galliarum Rex tam strenuū
 Belliducis captivitate inflatus, Me-
 diolanum contendit, ut corpus (ita fa-
 ma ferebat) ab obsidionis laboribus de-
 fatigatum recrearet, & civium animos
 muneribus, quæ Principes in ejusmodi
 eventibus liberalius effundere solent, sibi
 magis magisque conciliaret: Demum
 vero post duarum dierum, & noctium
 moram, ad obsidionem revertebatur.
 Interea Borbonii Dux cum suppetiis,
 quas in Germania collegit, propius ac-
 cesserat, quo circa Rex comperto ejus
 adventu Albaniae Ducem unacum co-
 piis suis revocare compellebatur; cum
 vero interim Gallorum exercitus Hel-
 vetiorum, ac Grisonum supplementis
 augetur, Dux subsistere jubebatur,
 dato etiam negotio, ut modicis itineri-
 bus Neapolin versus progrediretur, non
 equidem animo, ut illud occuparet,
 id enim prorsus risu dignum fuisset, sed
 potius ut hostem ementitæ hujus expedi-
 tionis

tionis metu turbaret, eo vel maxime, quod Foederati pecuniis destituti nuncium accepissent, Papiæ obsessos ad tantas redigi angustias, ut diutius urbem tueri desperarent, nisi opportune Neapolis Prorex felici stratagemate pecunias civitati intulisset. Præterea Obsessi non modo pulvere nitrato, sed & vino, omnisque generis annona (excepto pane) carebant, unde inter milites seditio mota est, minantibus etiam Germanis peditibus, ex quibus potissime præsidium constabat, se urbem Gallis tradituros, nisi Antonius de Leva sua illis stipendia brevi numeraret. Anxiis omnino curis urgebatur Gubernator, partim ut seditiosis in urbe satisfaceret, partim ut obsidentibus resisteret, quapropter de turbido rerum statu Proregem edocuit, qui protinus malo remedium attulit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. LXXVII.

Lanoyii stratagema ad pecunias Papiensibus advehendas.

Igitur Lanoyus Prorex duos Longobardos, qui frumentarios negotiatores agebant, atque in Gallorum castris vina vendebant, ad suas partes attraxit, eisque persuasit, ut dolium quoddam, in quo doliolum cum tribus aureorum

Mem' da
Bellai t. 2.

K k 4 milli-

Sæcul. XVI
 A. C. 1525

millibus latebat, alias vino repletum advehierent, cumque illi negotium in se susciperent, Prorex dolium equo imponi iussit, illudque in urbem Papiensem inferri curavit, eodem autem tempore Governatorem de tota consilii serie instruxit, significans, quod reliquæ quidem pecuniæ pro præsidii sustentatione paratæ essent, sed tantam auri vim duorum Oenopolarum fidei committere periculo haud vacaret, & Borbonii Dux cum valido militum supplemento urbi appropinquaret, ut proin eo adveniente mox castra moveri, & vel obsidio solvi, vel res prælio dirimi posset. Rebus ita dispositis ambo Longobardi vinum cariori pretio vendendi obtentu dolium proxime mæniis advehunt, vixque vinum venale proponebant, cum jamjam Antonius de Leva rem probe edoctus, ea ex parte cum suis erumpit, dolium aufert, atque doliolum, in quo erant pecuniæ, inde extrahit. Commendabat plurimum Germanis peditibus Lanoyii solertiam, tamque fidenter eis promisit, tota eorum stipendia in promptu fore, ut se ad totam obsidionem sustinendam paratos profiterentur, ac quadam honoris æmulatione stimulati allata tria aureorum millia cum Hispanis partirentur, spe freti, brevi Borbonium

bonium cum residuis pecuniis adven- Sæcul XVI.
A. C. 1525.
turum.

Nec promisso fides deerat; quippe biduo post Borbonii Dux cum sex millibus selectioris militiæ advenit, nondumque octava effluserat dies, cum alia quatuor millia accurrerent, ut sic Cæsareorum exercitus tam validis suppetiis auctus Gallos numero longe superaret; Franciscus enim exercitus sui vires plurimum diminuebat, eoquod unum, idque numerosum agmen ad Neapolis Regnum, alterum vero Savonam misisset.

§. LXXVIII.

Hispani placati, ex adverso Germani ad seditionem propensi.

Ceterum Lanoyus Neapolis Prorex haud parum angebatur, ut suorum militum querelas sedaret; nam hi deficiente ære militari seditionem moliebantur. Istos ergo ut placaret Piscarius, cum optime nosset, qua ratione Hispani milites facile expugnari possent, avaritiæ fatiandæ occasionem illis ostendit, vos quidem inquiebat, macti virtute estote; intuemini Gallorum exercitum quaquaversus dispersum, ad quem delendum vix gladio opus erit, ubi omnia hostilium castrorum spolia vobis offeruntur, quorum copia vos una die ma-

*Mem. du
Bellai l. 2
Guic. l. 15.
Belcar. l. 181.
Le Feron.
contin. de l'
histoire de
P. Emite.*

K k 5

gis

Sæcul. XVI
A. C. 1525.

gis locupletabit, quam si toto vitæ tempore stipendia mereremini; hostium vestrorum castra nonnisi ejusmodi milites defendunt, quos frigoris immanitas, ac gelidissima hyems adeo constrinxit, ut gerendis armis ferme inepti sint, itaque bellum strenue profequi pergite, dum omnes Gallorum divitiæ vobis victoria parantur. Eadem ferme oratione Borbonii Dux Germanis, quibus duobus pene abhinc annis sua studia addixerat, animum reddidit: quapropter Hispani ex primævo naturæ vitio honoris cupidi & avari (*) non modo iram ponebant, sed etiam alacri prorsus animo quanto citius ad prælium educi petebant. Nec Hispanis Germani fortitudine animi cedere volentes, pari vincendi aviditate pugnam exoptabant, quocirca Borbonii Dux, Neapolis Prorex, & Piscarius unice intenti erant, ut militum suorum ardori satisfacerent, proin illos Papiam duxerunt, ut vel urbem obsidione liberarent, vel Gallos prælio vincerent.

§. LXXIX.

(*) Moderatus de integra, eaque nobilissima Natione Continuator loqui debuisset; ejusmodi enim conviciandi libertas ipsis etiam Principibus, quamvis mutuo bello implicitis, summopere displicet, quibus persuasum est, bella ferro geri ac dirimi, non autem acri Scriptorum calamo, nec Personæ aut Nationis, sed causæ inimicis esse.

§. LXXIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.*Pertinax Francisci Regis consilium
de continuanda obsidione.*

Cæsareus exercitus numerabat duodeviginti peditum millia, septingentos Cataphractos, & nonnulla levioris armaturæ equitum agmina. Placuit belli præfectis, ut has copias Marinianum versus de industria ducerent, ac Mediolanum contendere simularent, hocque circuitu Galliarum Regem compellerent, ut ad primos adventantis exercitus rumores aut Papiæ obsidionem solveret, aut saltem Trimollius Mediolani Præfectus copias suas Gallico exercitui jungere prohiberetur. Rex hostium consilia edoctus, convocato belli Senatu, quid in præsentis rerum statu agendum, deliberavit, ubi Saniorum, veterumque Belliducum sententia eo abibat, solvendam esse obsidionem, ac Cæsareos strenue insequendos; dissensit tamen Bonivetus Admiralis, ejusque consilium secutus Rex obsidionem continuari statuit, quamvis datis literis ab Alberto Carpiensi Comite, quem Romæ Legatum habebat, Pontificis nomine monitus esset, ut prælii discrimen sollicitè declinaret, & per quindecim dies quiete in suis castris subsisteret, eoquod Cæsaris

Sæcul. XVI faris exercitus ob æris militaris penuriam ægre diutius in officio sese contineret; nihilominus Rex propria virtute clarus, sed alieno consilio infelix, de honoris sui gloria agi arbitrabatur, si non modo prælium, sed etiam pugnandi occasionem effugeret. Ceterum infauftum hoc Boniveti consilium brevi duo alia sequebantur fata, Regi omnino funesta, ac veluti integræ Gallorum interneccionis prælagia.

§. LXXX.

*Gallorum exercitus fatali casu dimi-
nutus.*

*Mem. du
Bellai l. 2.*

Hæc fuere prima Gallicæ infelicitatis auspicia. Die decima quinta Februarii Joannes Medicæus ex omnibus exteris Belliducibus, qui Regis vexilla sequebantur, vigilantia nulli secundus eruptionem ex urbe fecerat, non sine quorundam militum dispendio, altera autem die, ut suorum jacturam ulcisceretur, captosque hosti eriperet, insidias struxit, eosque, qui prius victores erant, fudit, fugavitque; cum vero Bonivetus partam victoriam gratulaturus, eum accederet, Medicæus adventanti palam obviam processit, ut penitus artem, qua hostem sefellisset, eidem ostenderet; ast in crure dextro sclopi glan-
de

de trajicitur, osseque in frustra diminuto Placentiam deferri cogitur. Eo absente protinus illius copix̄e ferme tria millia Italorum, quos nonnisi Ducis sui amor in Gallorum obsequio retinuerat, ferme omnes signa deseruerunt, ac nequidem expectata suorum Belliducum missione e castris excefferunt. Concorrebat ad mali cumulum altera infelicitas, eoquod Cæsarei iniquissimo Gallorum tempore inter Grifones seditionem ac tumultus suscitassent, postquam Clavennæ arcem in eorum finibus sitam dolo cepissent, ministerio cujusdam nomine Joannis Jacobi Medequin usi; hic patre, qui de mercimoniis portoria Mediolani exigebat, erat natus, cetera juvenis ad quævis audenda proclivis, suisque artibus tantum effecerat, ut inter Sfortiæ familiares secundus a secretis esset, hac igitur occasione usus arcis situm adeo scite explorabat, ut structis infidiis Gubernator, qui sine præsidio urbe excedebat, captus, arcemque Cæsareis dedere compelleretur; Grifones, cum tranquilla pace cum vicinis suis tunc fruerentur, repentino hoc fato tantopere terrebantur, ut hujus Tribus Gubernatores quantoctius indicta etiam perduellionis omniumque bonorum proscriptionis pœna præciperent, ut sex illa hujus Nationis
 millia

saecul. XVI.
 A.C. 1525.

Sæcul. XVI
A.C. 1525.

millia, quæ non ita pridem ad Gallorum castra venerant, nulla mora redirent, ac patriæ suæ succurrerent. A deo urgens erat hoc edictum, ut Grifones spretis etiam summis, quas Rex interponebat, precibus detineri haud paterentur, sed quinto ante pugnam die ad sua reverterentur; cum vero in reditu suo a Cæsareis vix ullam paterentur molestiam, suspitioni locus dabatur, eorum Ducem clandestina cum Cæsareis fovisse consilia.

§. LXXXI.

*Pallavicinus a Cæsareis cæsus,
captusque.*

Aliud insuper infortunium Gallorum exercitum numero & potentia frangebatur; Cæsarei enim Joannem Ludovicum Pallavicinum, qui Regis signa sequebatur, ingenti clade affecerunt. Hic, cum nuncium accepisset, quod Cæsarei aliquantulum annonæ ex Cremonensi urbe perciperent, ac nonnisi exiguum præsidiariorum numerum ibidem haberent, cum civium eis addictorum fidei sat fiderent, quantocius urbem inopino impetu obruere constituit; hinc cum quadringentis levioris armaturæ equitibus, ac duobus peditum millibus Cremonensem tractum ingressus, ibidem
Fran-

Franciscum Rangonium Comitem præ-
stolatus est, qui cum totidem equitibus, ac
quatuor peditum millibus sequebatur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

His copiis auctus usque ad Casale ma-
jus processit; at Pallavicinum præve-
nit solertia Alexandri Bentivolii, qui
Ducis Mediolanensis Tribunus, quam-
vis nonnisi ducentorum equitum, ac mil-
le quadringentorum peditum agmen
duceret, tam dextre Gallis instabat, ut
Pallavicinum profigaret, captumque
abduceret. Hæc clades penitus ever-
tit consilia, quæ Franciæ Rex adversus
Cremonenses moliebatur.

§. LXXXII.

*Arx S. Angeli Laudam inter &
Papiam a Cæsareis
capta.*

Interea hostes propius semper ad Pa-
piensem urbem accedebant, arcem-
que S. Angeli, quæ Laudam & Papiam
intersecat, suis armis subjecerunt. Nil
certius erat, quam hanc arcem a Cæ-
sareis occupatum iri, non modo ut a
tergo se tutos redderent, sed maxime
id ab illis fiebat, ne commeatus ex Lau-
densi ditione ad eorum castra advehen-
dus intercipi possit. Hanc ob rem Bo-
nivetus equidem validum arci præsi-
dium imposuit, illiusque imperium Pyr-
rho

Sæcul. XVI rho de Gonzaga Principis de Buffolo
A.C. 1525. fratri commisit, adjunxitque ducentos
 levioris armaturæ equites, & octingen-
 tos pedites Italos, haud ultra memor,
 quod hæc eadem natio priori anno sta-
 tionem sibi creditam adeo ignave dese-
 ruisset, aut forte ipse prævidere ne-
 glexit, quod in conservanda hac arce
 salus eorum, quæ Galli tum in Italia
 possidebant, posita esset. Præterea Rex
 Chabannium Marefcallum, & Principem
 de Buffolo decreverat, ut arcis situm
 explorarent. Equidem Princeps in fra-
 tre suo obfirmatum sese propugnandi
 animum, arcemque adeo munitam mi-
 rabatur, ut Regi significaret, magni o-
 peris futuram esse arcis adeo firmæ ob-
 sisionem, si illam aggredi hostes præsu-
 merent. Verum sua eum sefellit opi-
 nio; quippe Gonzaga a conjugæ suæ, quæ
 Piscarium proxima sanguinis cogna-
 tione attingebat, deceptus, eadem die,
 qua sollicitabatur, arcis dedendæ con-
 ditiones iniit, quas inter præcipua erat,
 ut Belliduces, qui in præsidio fuerant,
 capti abducerentur, & gregarii milites
 solido mense nihil ultra contra Cæsa-
 rem se moturos pollicerentur.

§. LXXXIII.

Secul. XVI.

A. C. 1524.

*Status Gallici, & hostilis
exercitus.*

Ammissa hac arce longè munitissima, ac demum appropinquante hostili exercitu tandem Rex aperte cognovit, se a Cæsareis ad prælium provocatum iri, quapropter Trimollium cum septem armatorum millibus Mediolano evocavit, ibidemque nonnisi duo millia subductore Theodoro Trivultio reliquit. Ducebat primum Gallorum agmen Chabannius Marefcallus, junctis quoque Trimollii copiis, quarum castra a S. Lancfranci & S. Justinæ suburbiis usque ad vivarium Carthusianorum sese extendebant. Media acies, cui ipse Rex præerat, clausum Mirabeli saltum occupabat, postremum denique agmen, cui Alenfonii Dux imperabat, totum tractum intra eundem saltum & monasteria S. Pauli & S. Jacobi Papiam prope implebat, ac colliculis impositum liberissimo oculorum prospectu etiam longissime diffitos campos emetiri poterat. Ex adverso Lannoyus, Piscarius, & Bourbonius summo studio regios aggeres observabant, ut castri situm accurate explorarent, demum vero die vigesima prima Februarii habito belli Senatu de-

Hyst. Eccles. Tom. XXXIV. L1 cre

Sæc XVI.
A.C. 1525. creverunt, totis copiis cum hoste Gallo contendendum, & quidem Natali Cæsaris die, quæ erat vigesima quarta ejusdem Mensis S. Matthiæ sacra; cuncta enim sibi prospera augurabantur illa die, quæ communis lætitiæ argumentum erat. Ergo die vigesima tertia delectu habito facile viginti peditum, & tria millia equitum præter octingentos cataphractos recensebant, quæ omnes copiæ recentes, ac omnino integræ erant, cum econtra Gallorum exercitus viribus ac laboribus exhaustus esset. Milites super arma sua induebant alba indusia, ut eo facilius hostem ab amico discernere possent. Dividebatur exercitus in septem agmina, quorum tria equitum & quatuor peditum millia erant, nequidem computatis Vasconibus.

§. LXXXIV.

Occasio ad Papiense prælium.

Guicc. lib. 15
Mem. du
Bellai l. 2.
Pet. de Angl.
ep. 815.
Ant. de Vera
l. cit pag 106

Castra metabantur Cæsarei extra Papiense vivarium haud procul a Carthusianorum coenobio, ibique in muro noctu suffosso quinquaginta aut ferme sexaginta Orgyis latum aperiebant hiatus, per quem cum exercitu suo in finistrum regii agminis cornu irruerunt, ut Mirabeli saltum occuparent; inde enim ad

ad Papiensem urbem facilem sibi viam parabant, ut præsidia recentibus copiis identidem augere, urbemque annona ac bellico apparatu commode instruere possent; Referunt Scriptorum nonnulli, quod Cæsarei tum in animo non habuerint, aut prælii discrimen experiri, aut hostium castra vi percurrere. Interea vero Jacobus Galliotus de Genouillac ab Acier apud Gallos supremus rei tormentariæ Præfectus adeo scite in saltu tormenta locabat, ut quo propius hostium agmina accederent, eo magis continua strage prosternerentur, adeo, ut Cæsarei relicta statione, turbatisque ordinibus, ad quamdam vallem sese reciperent, ibidemque a globorum tempestate tutum asylum quærerent. Rex inde nimia facilitate Cæsareos in fugam actos sibi perire debet, unde nequidem exploratorum situ de statione sua excessit, ambitione stimulatus, qua sibi soli victoriæ gloriam deberi cupiebat. Ergo hostem aggreditur, & quamvis ea muneris pars Chabannio Marefcallo utpote primi agminis Duci deberetur, nihilominus Rex selectiores Cataphractorum copias, ac e dextro cornu Helvetios ducebat, magnoque impetu in hostilem equitatum irruens, primam legionem evertit, ipsumque propria, (ut fama ferebat) manu Marchionem S. Angeli ultimum de

Sæcul. XVI Scanderbegi familia furculum, qui his
A.C. 1525. equitibus præerat, trucidavit.

§. LXXXV.

*Ignavia Helvetiorum a Gallorum exercitu excedentium.***Caic. 1. 15.**

Haud minori animi fortitudine Lescunus, Brionius; & Fridericus de Gonzaga usque ad Cæsareorum tormenta penetrabant, eorumque excubias dispergebant; Helvetii quoque, qui ad Regis dexteram dimicabant, in transversa Hispanorum latera invadebant, eosque pedem referre cogebant. Interim Lanoyus suos ad fugam inclinare comperiens, nulla mora Marchionem Piscarium cum quibusdam Germanorum peditum copiis adesse iussit, easque Helvetiis opposuit; ubi ad solum Germani agminis conspectum Helvetii pristinae fortitudinis immemores, titubare, & per summam ignaviam prælii campum deserere cæperunt, ac Mediolanum profugerunt, nequicquam adhibitis Regis precibus, qui fugam sistere toto studio conabatur. Incaustum etiam illis animum reddere moliebatur Fleurangius, qui cum sua Cataphractorum centuria eis occurrens pollicebatur, se suis injuncturum, ut ex equis desili-
 gent, ac juncta cum illis opera primam
 aggres-

Sæcul. XVI.

A. G. 1525.

aggressionem tentarent. Verum Helvetii ejusmodi verba, imo & probra eis objecta irridebant, unde his inde abeuntibus Gallorum peditatus solis constabat Germanis, qui vulgo nigra peditum turma vocabantur, ac sub imperio Francisci Lotharingii & Suffolciæ Ducis militabant. Hi equidem invicta virtute dimicabant, ac obfirmato vincendi animo Borbonii & Lanoyi impetus aliquamdiu sustinebant: cum autem numero nonnisi quatuor aut quinque milia essent, una omnes a Cæsareis trucidati fuere, ut nequidem unicus fuga mortem evaderet, ac ipsimet ambo Belliduces Lotharingius, & Suffolcius peracto prælio ex occisorum acervis extrahi deberent, ut saltem terræ mandarentur.

Accepta hac clade tota certaminis moles Regiis copiis impendebat, sed & ipsæ jam tertio fusæ, totiesque ad signa revocatæ, tanta desperationis rabie in hostium agmina irruerunt, ut Piscarius illorum Dux in terram delapsus, ac graviter saucius equorum unguis protritit fuisset, nisi ejus amici promptam periclitanti opem tulissent. Accurrebat ad periculum Lanoyus, verum devictus, vitæ discrimen ægre fuisset elutatus, nisi Borbonii Dux adventasset, qui adhucdum fuso Gallorum peditum

L 1 3

fan-

Sæcul. XVI

A. C. 1525.

sanguine manans tanto impetu mediam aciem, cui ipse Rex præerat, invasit, ut Gallorum acies intaurari haud amplius posset.

§. LXXXVI.

Procerum quamplurimi penes Regem trucidati.

In turbato hoc rerum statu nil reliquum erat, quam ut illi, qui animi fortitudine, ac pio in Regem affectu ceteris eminebant, Franciscum cingerent, eumque valide tuerentur. Ex his quanto citius cadebant ante Regis oculos egregia morte defuncti Palicius, Trimollius Dux, Galeatius Sanseverinas supremus Franciæ Armiger, nec non alius ejusdem nominis Magnus Regiæ Magister, præter quos etiam Bonivetus occisus est, cujus obitus famam nullius luctus excepit. Quin imo referunt nonnulli, quod Borbonius furore ac vindictæ cupidine accensus studiose in occisum inquisierit, ac tandem sine armis, ac vestibus reperto exprobraverit hæc verba: O infelix, tu meæ ac Franciæ ruinæ causa fuisti. Enimvero communi omnium judicio Boniveti interitus adscribebatur promeritæ poenæ, quam ob perversa sua consilia, & nimiam, qua Regis animum suo arbitrio

*Brantome
vie des Hom-
mes illustr.*

bitrio subjectum tenebat, potentiam subibat. Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. LXXXVII.

*Gallarum Rex devotus, ca-
tusque.*

Ceterum Rex inter suorum cadavera adhucdum gladium manu tenens strenue dimicabat, ubi vero per ultimas cædes fuga elabi contenderat, accurrebant nonnulli hostilis equitatus Belliduces, qui quidem Regem de facie haud noverrant, ex armorum tamen splendore virum nobilitate primum suspicabantur; unde fugientem pressius insequentes eum in quodam loco valde angusto deprehendunt, occisoque ejus equo Regem eodem ictu in terram projiciunt, non sine magno vitæ suæ discrimine; nihilominus licet crure saucius in pedes tamen sese erexit, ac ferme solus irruentibus restitit. Supervenit Pomeranus, qui Bourbonii Ducem ab illo, quo hic mota rebellionem e Galliarum regno discesserat, tempore constanter sequebatur: hic ergo Regem accessit, ac gladium stringens crebris ictibus milites cohibuit, qui Regem capturi turmatim accurrebant. Sub idem tempus Pomeranus Bourbonium accersiri jussit, ut Franciscum Galliarum Regem captum exciperet. Verum

*Mem. du
Bellai l. 2.
Ferron. in
Francis. I.
Ant de Vera
hist. Car. V.
p. 110.*

Sæcul. XVI
A. C. 1525.

rum Rex indignatione in rabiem versa palam contestabatur, se potius mortem subitum, quam gladium suum proditoris manibus traditurum, moxque ad Pomeranum conversus eidem significavit, ut Lanoyum Neapolis Proregem adesse juberet; huic enim soli libenter se gladium suum traditurum asserbat.

§. LXXXVIII.

Rex porrecto gladio sese Neapolis Proregi captum tradit.

Steidan. in
Comm. l. 4.
p. 427.

Lanoyus rupta omni mora accurrit, ac sub venerationis specie quinquaginta omnino passus a loco, ubi detinebatur Rex, semotus equo descendit, quem propius adventantem Rex his verbis italo sermone allocutus, inquiebat: „Lanoye, Domine mi, en gladium Regis sua laude digni; priusquam enim illum cedere coactus fui, eodem ferro vestrum plures trucidavi, nec ob ignaviam, sed sinistræ fortunæ iniquitatem captus vestræ subjicior potestati „ Lanoyus flexo poplite ac exhibita reverentia gladium a Rege recepit, ejusque dexteram exosculatus, suum exemit gladium, eumque pari submissione Regi tradidit, dixitque: „Majestas sua meum acceptet gladium, qui plurium vestrum cruori pepercit; in-

33 con-

„ congruum enim est, ut Cæsaris Mini-
 „ ster Regem licet captivum, armis ta-
 „ men nudatum conspiciat. „ Placuit
 Regi Viri comitas. Interea plures con-
 currebant Centuriones, qui inter bra-
 chia sua Regem ad Proregis tentorium
 deferebant; vero tamen magis simile
 est, idque nonnulli testantur Historici,
 Regem equo vectum ad Lanoyum fuis-
 se deductum. Ibidem ejus vulnera in-
 spiciebantur, quæ tamen nonnisi levia
 erant. Referunt quidam Scriptores
 Hispani, Lanoyum Regi, ut Borbonius
 sua eidem obsequia deferre permittere-
 tur, instanter supplicasse, illum vero re-
 spondisse, tentorium locus adeo sacer
 est, ut Duci hanc gratiam recusare ne-
 fas foret; igitur Borbonius Regem in-
 visens cænanti inclinato genu manum
 osculabatur, eique mappam porrexit.
 Attamen ex Gallis Scriptoribus disci-
 mus, Regem Borbonii conspectum haud
 sustinuisse, idque nativo ejus genio ma-
 gis consonum videtur, quamvis non
 diffiteamur, quod forte Rex fatali re-
 rum necessitate compulsus, ad Lanoyi
 preces Borbonio delicti veniam con-
 cesserit.

æcul. XVI.
 A.C 1525.

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

§. LXXXIX.

*Primum Gallorum agmen cæsum,
& postremum fuga dissipatum.*

Guicci. l. 15. Postquam media acies, quam ipse Rex ducebat, ut retulimus, penitus cæsa fugataque esset, haud benigniore fortuna utebatur primum agmen, cui præerat Chabannius Marefcallus; Antonius enim de Leva cum ex Papiensi urbe eruptionem faceret, tam acriter a tergo instabat, illudque Cæsarei a fronte tam valide adoriebantur, ut una omnes jugularentur. Occubuit ibidem ipse Chabannius, cumque Alesonii Dux, qui postremo agmini imperabat, prælium instaurare pararet, a ceteris rogabatur, ut potius cum paucis suis, qui supererant, militibus fugam arriperet, quam suos certæ cædi exponeret. Horum consilium secutus, trans Ticinum ponte a Gallis imposito cum suis periculose subduxit. Ultimo tandem Montmorentiacus, qui, ut supra meminimus, ad obsidendas quasdam vias decernebatur, audito tormentorum fragore ad prælii campum accurrebat, cum vero totum Gallorum exercitum cæsum, ac quaquaversus dispersum cerneret, a Cæsareis undique cinctus in captivitatem abstrah-

abstrahitur, cæsa suorum potissima parte.

Sæcul. XVI.

A.C. 1525

§. XC.

Occisorum, ac captivorum numerus.

In acie cæsa, aut Ticini undis submersa sunt octo, vel ut scribit Guicciardinus novem millia Gallorum, quos inter, præter eos, quos jam paulo ante recensuimus, numerabantur Comes de Tonere, Hector Borbonii Nothus, Petrus de Rohan, Calvimontius, Bussius de Ambasia, Durafius, Turnonius, Buzancyus, Bopreus, & Sangelafius, Villemorus, & Ludovicus de Arfia. Ingens præterea captivorum erat numerus, ex quibus præcipui Henricus Albretus Navarræ Rex, Franciscus Borbonius Comes S. Pauli, Ludovicus Nivernensis, Fuxus & Montinorentiacus Marefcalli, Nothus de Sabaudia magnus Franciæ Magister, Antonius de Rupe Fucaldi, Fleurangius, *De la Roche du Maine.* Brionius, Sourdis, Lorgefius, Rochepotus, Montejanus, Rupe-cenomanensis, Meillarayus, Montpesatus, Boissius, Curronus, Langeyus, Montlucus, Fredericus de Bossolo, pluresque alii. Capiebatur insuper Brundusienfis Episcopus Papæ Legatus, qui tamen Lainoyi jussu mox liber dimissus est, nec minus Comes

Sæcul. XVI. Comes Sancti Pauli, & Fridericus de
A.C. 1525. Boffolo excubiis auro corruptis liberta-
 tem suam redemerunt: Fuxus vero Ma-
 rescallus & Sabaudixæ Nothus multis
 vulneribus confecti in carcere obierunt.
 At ex parte Cæsareorum non nisi septin-
 genti aut forte octingenti fuere desi-
 derati. Ceterum Theodorus Trivultius
 & Candiere, quos Trimollius Medio-
 lani reliquerat, unacum urbis præsidio
 secedentes, in Gallias reversi sunt.

§. XCI.

Obsequia capto Regi exhibita.

Ant. de Vera
hist. de Charl.
V. p. 112. Interim Franciscus I. potius veluti Rex,
 quam captivus habebatur, imo ipse
 etiam Piscarius, qui Gallici exercitus
 impedimenta ceperat, cuncta, quæ Re-
 gis erant, eidem restitui jubebat: Rex
 vero, quæ secum adhuc deferebat, mu-
 tatis vestibus, præcipuis Belliducibus
 dono dedit, & quidem Piscario Mar-
 chioni equi sui ephippium, frænum, ac
 breviora sclopeta donaverat. Vespere
 facto Rex publice cænabat, præci-
 puis tam Hispanis, quam Italis, & Ger-
 manis Belliducibus eidem inservienti-
 bus, quos Rex, ut & ipsi mensæ accum-
 berent, rogabat, quod tamen non nisi
 post iteratas preces ab eis obtinuit.
 Postera die Prorex Regem ad arcem
 longe

longe munitissimam, quam Picelonem Sæcul. XVI
A.C. 1525.
vocant, abduci iussit, ubi etiam aliquam-
diu captus hæsit sub custodia Alarco-
nis Nobilis Hispani, qui tamen debito
eum honore prosequabatur.

§. XCII.

*Contentio de Senonensi Archiepisco-
patu ob unum a Capitulo electum,
alium vero a Regina nomina-
tum exorta.*

Eadem, qua Rex capiebatur, die, mor-
tuo Ponchero Præsule, Senonensis
Archiepiscopatus vacabat. Suffragan-
te concordati lege Ludoyica de Sabau-
dia Regis Mater, cui absens ejus filius
regni administrandi curam commiserat,
ad hanc Ecclesiam quemdam Præsule Pinso. p. 747.
lem nominare voluit, inhibuitque, ne
Senonenses Canonici ad electionem ullo
pacto procederent. Hi autem insuper-
habito Reginae interdicto, conventuque
habito Joannem de Salazard elegerunt.
Regina honorem suum vehementer læ-
sum rata, supremo Senonum Præsule,
ut temporalia Capituli bona ærario ad-
diceret, præcepit, Regisque nomine
Antonium de Prato Regni Cancellari-
um in Archipræsulem nominavit.
Verum hac de re querebatur Capitulum,

Sæcul. XVI ac propter usurpata bona ad supremum
A.C. 1525. Senatuum provocabat, contendens, quod
 ejusmodi vis sine ulla prorsus auctori-
 tate fuisset illata, cum absque Regis
 jussu attentata fuisset. Parlamentum
 causam ad Regis Senatuum remisit: hic
 vero sua Canonicis bona restitui jussit.
 Paulo post Canonici a Capitulo Depu-
 tati aliquod ad prosequendam appella-
 tionem diploma Curiae porrigebant, cum
 id postularet generalis Sanctioris Se-
 natus Procurator, qui contra electio-
 nem Joannis de Salazard a Capitulo fa-
 ctam, usurpati juris titulo provocabat.
 Igitur ad Capitulum, atque electi preces Cu-
 ria antiquo juri insistens respondit, cau-
 samque ad ipsum Regem remisit, quam-
 vis haud ignoraret, Cancellario, de
 cujus causa potissimum agebatur, pri-
 mum locum deberi in Consilio, cujus
 ipsemet erat Præses.

§. XCIII.

*Alia de S. Benedicti Abbatia ad Li-
gerim controversia.*

Pinso. p. 747. Fervente adhuc hoc diffidio pariter Ab-
 batia S. Benedicti ad Ligerim vaca-
 bat, ad quam Regina itidem eundem
 Pratum Cancellarium nominabat, ut
 illum quantum in ipsa esset, beneficiis
 cumularet: Inde vero haud minor ex-
 orta

orta est contentio, quam Senonensis Archiepiscopatus nuper suscitabat, quapropter causa rursus ad Parlamentum Parisiense deferrebat: Cum vero Cancellarius litem suam ab hac Curia cognosci minime sustineret, causam ad supremum Regis Senatum avocavit. Dein deputabatur Morentiacus ad Parlamentum, ut eidem significaret, quod cognitio eorum, quæ Cancellarium concernerent, Parlamenti auctoritatem excederet. Præterea graviter querebatur Morentiacus, quod Bocharus Advocatus in suo libello quinquies, aut omnino sexies repetere haud dubitaverit, concordatum corruptelis esse plenum, & Regiæ ausus nonnisi iniquissimo fieri animo, ac Abbatiam, de qua controvertitur, illicitis omnino viis fuisse impetratam.

Eodem die Regis Advocatus assererat, quod sibi non in animo nunc esset concordatum abrogari, cum Papæ indignatio foret timenda; hanc in rem allegabat Honorii III. Pontificis testimonium docentis, *interdum aliquid severitati detrahendum, prout statu imperii provida deliberatione pensato expedire videbitur.* Præterea his addidit, quod sibi opportunum, quo simul concordatum conservari, atque electionum libertas quodammodo restitui posset, occurreret medium, cum

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

Cap. fin. de
transact.
Pinson. hist.
pragm. &
concor. p. 784

Secul. XVI
A.C. 1525.

cum fuisset admonitus, quod extaret declaratio, quæ rerum ad Episcopatus & Abbatias concernentium cognitionem supremo Consilio adjudicat, a se tamen illam haud inspectam, nec ad acta relatam, vel in Parlamento promulgatam fuisse ajebat, ceterum subdebat causas ad supremum Senatum avocando nonnisi Regis subditos divexari, eoquod hoc tribunal nulla auctoritate fulciretur.

§. XCIV.

Parlamenti responsum ad Morentiacum.

Ad ea, quæ Morentiacus exposuerat, Parlamentum interposita fide palam profitebatur, quod cuncta ejus membra Regi inviolabili constantique fidelitate adhæsura sint, nec unquam eis in mentem venerit, concordati abolitionem moliri, cum id haud congruum in præfenti rerum vicissitudine censeret, ac hoc ipsum ab ipsamet Majestate sua, ubi redierit, perfici posset, ceterum inquiebat, inficiari se, quod ea, quæ Bocharo Advocato imputantur, re ipsa ab eo fuerint prolata, si vero concordatum fuisse violatum objiceretur, id imputandum Cancellario, eoquod a Rege ad Abbatiam S. Benedicti ad Ligerim se nominari fecisset,

Pinson. l. c.

Sæc. XVI.
A.C. 1525.

cisset, quamvis meritis a Concordato præscriptis careret; cum hic nec Religiosus foret, illis vero, qui speciali nominandi privilegio gauderent, hoc jus salvum maneret, nec hujus Abbatiae Religiosis abnegari posset. Præterea Concordatum nec ex parte Pontificis nec ex parte Regis pactum dicebat esse honestum; eo quod ille contra regulas Annatas perciperet, hic autem spretis oppositionibus eorum, quorum interest, ad Episcopatus & Abbacias nominaret.

Præterea subjunxit Parlamentum, a Religiosis Benedictinis libellum supplicem eidem fuisse porrectum, in quo de ablata omni eligendi libertate questi exponebant, quod eorum monasterium militum præsidio obsideretur, proin rogarent Curiam, ut ejusmodi malis, ac oppressionibus remedium adhiberet. Perceptis eorum querelis Curiae Custodem fuisse eo decretum, illum vero adeo male exceptum, ut ex verberum atrocitate moreretur. Alius insuper libellus eidem supremæ Senatorum Curiae porrigebatur, quo lecto illi quemdam Confiliarium deputabant, ut in hanc rebellionem, vimque illatam inquireret, ad cujus relationem Curia reos carceri mandari præcepit. Post hæc Parlamentum exposuit, quæ ob Senonensem Archiepiscopatum acciderant: Quan-

Hist. Eccles. Tom. XXXIV. M m tum

Sæcul. XVI tum vero Abbatiam S. Benedicti atti-
A.C. 1525. net, non jam de electionis privilegio, sed
 duntaxat de libertate eligendi Monachis
 reddenda agebatur; ad id enim obti-
 nendum Parlamenti opem implorabant.
 Eodem quoque tempore Curix Senatores
 afferebant, quod cunctæ caussarum
 avocationes omnino noxiæ essent,
 præprimis vero illæ, quæ Senonensem
 Archiepiscopatum, & Abbatiam S. Be-
 nedicti ad Ligerim respicerent, cum
 Cancellarius illius Consilii, in quo ipse-
 met iudices sibi faventes abs dubio
 electurus foret, caput esset, ac insuper
 ad impetrandum utrumque beneficium
 suos Romam ablegasset; præterea iidem
 dicebant, omnibus esse notum, quod
 Regina regni Administratrix ad discu-
 tiendam ac dirimendam hanc caussam
 a Viris idoneis provocare intendat, in-
 de vero gravissima mala merito timen-
 da forent; de cetero Cancellarium lau-
 dabant tanquam Virum prudentia, ac
 scientia insignem necnon præclaris do-
 tibus præditum, id vero vitio illi verte-
 bant, quod solus rerum summam mode-
 rari affectet, quamvis ad id nequidem
 expertissimi hominis solertia in Franciæ
 Regno tantopere extenso sufficeret, ac
 aliunde Parlamenti sententia in eo esset,
 ut Status negotia honestis ac legitimis
 mediis

mediis, non vero vindictæ ac privati **Secul. XVI.**
commodi studiis pertractentur. **A. C. 1524.**

§. XCV.

*Regina caussarum cognitionem sibi
reservare studiosa.*

Post hæc Parlamentum Selvæ Præsidi, & Veriuso Cancellario negotium dedit, ut Curix sententiam Reginx significarent, eamque de cunctis, quæ circa Senonensem Archiepiscopatum, & Abbatiam S. Benedicti ad Ligerim gesta fuissent, accurate edocerent. Regina audito amborum Magistratuum sermone reposuit, se utriusque causæ cognitionem sibi reservaturam, hancque in rem exploratæ probitatis Viros congregaturam, qui hoc negotium deciderent. Eodem tempore Cancellarius suam quoque indignationem adversus Curix sententiam utrique Deputato palam testabatur, simulque declarabat, petere se, ut pro injuriis, quibus in causa Archiepiscopatus, & Abbatix a Curia affectus esset, sibi satisfacerent, cum sat sibi perspectum esset, ejusmodi vexationes Parlamenti jussu intentatas fuisse, illudque nil ardentius moliri, quam Concordati abrogationem. His dictis Cancellarius acta & quæstiones adversus

M m 2

Sæcul. XVI. A.C. 1525 sus Curia Deputatos institutas ad supremum Senatam remitti curavit.

§. XCVI.

Parlamenti oppositio.

Die vigesima secunda Junii Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto Lifetus Regis Advocatus intellexerat, Hennequinum in supremo Senatu comparere jussum, quapropter pronunciabat, quod hic Vir ad hujus mandati executionem haud esset munitus auctoritate a Parlamento ipsi delegata, quamvis ad illud unice hujus causæ cognitio spectaret; præterea his addidit, Reginam equidem asseruisse, *velle se utriusque causæ cognitionem sibi reservare, hancque in rem exploratæ probitatis Viros advocare, qui hoc negotium disjdicarent,* sed tamen hæc res maximi momenti esset, & ponderis, atque ejusmodi agendi ratio ad ordinaria tribunalia penitus evertenda tenderet, nec ad Cancellarium pertineret hac in causâ judicium suum ferre, eoquod is Reginae esset convictor, ejusque domesticus, ut proin nec justitiæ nec æquitati congrueret, quod causarum, quæ Episcopatus & Abbatias concernunt, cognitio Parlamento auferatur, earumque judicium ad supremum Consilium remittatur.

tur. Denique subjunxit, quod nunc ta- Sæcul. XVI.
 lia quidem dissimulare compelleretur, A.C. 1525
 cum non de præcipua negotii summa,
 sed de commissa nonnisi violentia, & u-
 surpatione ageretur.

§. XCVII.

*Epistola Regine ad Parlamentum
 Lugduni data.*

Regni administratrix, quæ tum Lug-
 duni agebat, die vigesima quarta Pinsson. l. 2;
 Junii ad Parlamentum literas dedit, in p. 749.
 quibus significabat, se iniquo ferre ani-
 mo, quod Parlamentum cum supremo
 Senatu jurgio contenderet, licet ipsa
 hujus causæ cognitionem haud alio ex
 fine quam ut litibus finem imponeret,
 sibi reservasset, hancque in rem præsen-
 tium Latori negotium dedisset, ut caus-
 sam avocaret, id vero ipsum scribebat
 fuisse ita decretum ex sententia eorum,
 quos Parlamentum deputasset.

Perlecta Regine epistola, atque dis-
 cussio instrumento, quo illa hujus caus-
 sæ cognitionem sibi vindicabat, idem
 Lifetus Regis Advocatus sese opposuit,
 asseruitque, rem esse periculis plenam,
 atque hac de re monendam esse Regi-
 nam, eique exponendum, quod illius
 mandatis morem gerere, Parlamento
 haud integrum esset, proin interea, do-

M m 3 nec

Sæcul. XVI. nec illius responsum perciperetur, præ-
A.C. 1525. cipiendum, ut ejusmodi avocatio exe-
 cutioni haud daretur, nec litigantes
 causam suam in alia quam Parlamenti
 Curia prosequerentur, nullatenus vero
 coram supremo Senatu sese sisterent, ni-
 si causa sua cadere, & centum auri
 marcarum multam pendere mallerent.

§. XCVIII.

*Parlamenti edictum pro executione
 primæ suæ sententiæ.*

Die tertia Julii eodem anno Parlamen-
 tum omnia tribunalia convocavit,
 atque edicto sanxit, insuperhabita, quam
 Regina præcepisset, evocatione senten-
 tiam in causa Senonensis Archiepisco-
 patus, necnon Abbatiae S. Benedicti ad
 Ligerim nuper latam omnino executio-
 ni dandam esse. Præterea Generali Pro-
 curatori ac litigantibus inhibuit, ne ad
 aliud tribunal causam deferant, indi-
 ctis poenis supra relatis: Die vero vige-
 sima septima ejusdem mensis Procura-
 tor Generalis graviter contra Parlamen-
 tum querebatur, eo quod in Aurelianen-
 si urbe edictum fuisset promulgatum,
 quo ejus sententiæ in causa Abbatiae S.
 Benedicti stare interdicebatur. Post hæc
 perceptis istius querelis, omnes Curiae
 simul congregatae decreverunt, datis
 literis

literis Reginæ supplicandum, ut Cancellarium ad Parlamentum ablegaret, cum maximi momenti res esset, quæ eidem communicaretur. Perscripserunt iidem ad ipsum Cancellarium, ac præterea quosdam nominabant Consiliarios, qui literas, ut vocant, evocatorias necnon alias ab eodem Cancellario præter consuetudinem signatas, atque emissas discuterent, simulque responsum ab eo perciperent super articulis, quos ei Procurator Generalis exhiberet. Denique decernebant, eundem in jus vocandum esse, nisi ad diem decimam quintam Novembris ultro in Curia compareret.

saecul. XVI.
A.C. 1525.

§. XCIX.

Causa Aurelianensis Abbatiae ad S. Euortium.

Utrique huic causæ haud incongrue subijcimus tertiam, quæ hoc quoque anno mota fuit: cum enim Abbas monasterii Aurelianensis ad S. Euortium decederet, ac alius subrogaretur, Regina pro parte sua Ludovicum Carthusianum nominavit, inhibuitque Parlamento hujus causæ cognitionem, quam sibi reservaverat: Nihilominus ab hac Reginæ sententia appellatio interponitur, illamque Parlamentum ratam habet. Hanc mandati sui vilipensionem

Pisson. l. c.
p. 749.

M m 4

Regi-

Saecul. XVI. Regina summopere indignata, gravibus
 A.C. 1525. omnino verbis conceptam perscripsit E-
 pistolam ad Parlamentum, quod tamen
 se appellationem defensurum respondit,
 quinimo die vigesima secunda Augusti
 Lisetus Regis Advocatus pronunciavit,
 quod Parlamenti jussu examinaverit
 sententiam *Præsidialis Curiae* Aurelianen-
 sis, a qua provocationis prosequendæ
 diploma, quod Religiosi ex Abbazia ad
 S. Evortium impetrassent, tanquam
 corruptela declaratum fuisset irritum.
 His idem addidit, edictum fuisse pro-
 mulgatum, quo hujus Abbatiae Syndi-
 cus necnon illi, qui diploma effectui de-
 derunt, comprehendi jubebantur, proin-
 Procuratorem Generalem in jus esse vo-
 candum, Religiosis vero inhibendum,
 ne Parlamentum accederent. Postea
 Parlamenti auctoritatem superba pror-
 fus magniloquentia efferebat, ac com-
 probare nitebatur, quod Regis Senatus
 præscriptos potestatis suæ limites exce-
 deret, si sese causis ordinariis ingere-
 ret, indeque conclusit, expectandum es-
 se Reginae responsum, interea vero Au-
 relianensi Præfecto, aliisque Regiis Mi-
 nistris injungendum, ne ullum Senatus
 Regii edictum, quale esset Decretum cir-
 ca Abbatiam S. Evortii effectui darent,
 nisi prius probe fuisset examinatum, ne
 forte Parlamenti auctoritas læderetur,

fi

si vero Aurelianensis Curiae Præsidialis Sæcul. XVI.
 Ministri Parlamento morem gerere recu- A C. 1525.
 sarent, nullum magis expeditum reme-
 dium occurrere aiebat, quam si lata in
 eos sententia carceri mandarentur.

§. C.

*Parlamenti edictum de ejus sententia
 executioni danda circa Abbatiam*

S. Euortii.

Supplicaverat Reginae Parliamentum,
 ut Cancellarium ad Curiam remitte-
 ret; illa vero acceptis hisce literis re-
 posuit, jussitque, ut Parliamentum prius
 hujus petiti rationem redderet; hanc
 ob rem quidam hujus Curiae Senatores
 ad Regni Administratricem ablegati fue-
 re. Equidem Lisetus libellos, quos con-
 tra Cancellarium scripserat, excusare ag-
 grediebatur, verum Curia quantocius ei
 reposuit, ea, quæ muneris sui essent,
 perficeret. Postmodum die quinta Se-
 ptembris Parliamentum promulgato edi-
 cto sanxit, ut cuncta ejus decreta in cau-
 sa Abbatiae S. Euortii omnino executio-
 ni mandarentur, insuper habitis omni-
 bus, quæ supremus Regis Senatus op-
 poneret, cujus Procurator Generalis in-
 jus vocatus sese coram Parlamento siste-
 ret. Præterea Generali Parlamenti Pro-
 curatori inhibuit, ne in supremo Con-
 silio

Sæcul. XVI. A C. 1524. filio compareret, ad Reginam tamen Parliamentum Deputatos, qui suorum edictorum executionem fieri, ab ea rogarent, decrevit, scripsitque ad Principes, Duces, & Pares Franciæ, quorum potens apud Regni Administratricem patrocinium exorabat, eisque persuadere conabatur, ut eandem ad tuendam Parlamenti auctoritatem inducerent, præterea hos Principes rogabant, ut congregationi, quæ altera post festum S. Martini die celebraretur, assisterent, ibique cum Parlamenti membris de gravissimis omnino negotiis conferrent. Tandem concluderunt, Cancellarium, si usque ad decimam quintam Decembris diem comparere differret, lata in eum sententia omnino cogendum, ut sese iudicio silteret.

Illuxerat dies festus S. Martini, cum Bardus Præses, postquam demandatum sibi negotium apud Reginam perfecerat, Curiæ exponeret, Regni Administratricem de Parlamenti temeritate graviter conquestam, eo quod hoc Tribunal, inquietabat illa, potestatem sibi a Rege Filio suo datam, restringere præsumeret, seque negotiis, quæ tamen illud minime spectarent, ingereret. Retulit pariter Bardus cuncta, quæ Regina specieatim de exorta ob Senonensem Archiepiscopo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

episcopatum, necnon ob Abbatias S. Benedicti ad Ligerim, & Aurelianensem S. Euortii contentione edixerat; percepta horum relatione Parliamentum datis literis Reginam rogabat, ut sua auctoritate magni Consilii acta interrumpi juberet, vicissim vero Parliamentum, se quoque hucusque gesta suspensurum pollicebatur, addens, nunquam sibi in mentem venisse, ut facultatem a Rege illius Filio, qui se absente illam Regni Administratricem constituisset, Reginæ concessam limitaret, præterea etiam assererebat, quod nunquam injuriam Cancellario inferre ullo pacto voluerit, sed eum ad Parliamentum vocando unice intenderit, ut cum eo quædam summi momenti negotia pacifice componeret. Hæc lis per aliquot menses suspensa permansit.

§. CI.

Fœdus a Venetis Cæsarem totius Europæ potentissimum pertimescentibus adversus eum sancitum.

Interea Veneti Papiensis victoriæ terrore vehementer perculsi verebantur, ne Cæsar, cum potentissimus esset reditus, totam Italiam victricibus suis armis subjicere moliretur; quapropter summo Pontifici exponebant, se fœdus contra

tra

Sæcul. XVI
A. C. 1525

tra Cæsarem conflatu-
ros esse, huic quoque Angliæ Regem ac-
cessurum, cum id rerum suarum commo-
dum exigeret. Horum rationes Pontifi-
ci adeo graves videbantur, ut & ipse
huic fœderi nomen daret. Verum ad-
huc concipiendis illius articulis incum-
bebant, cum Papa cursoriis equis Hiero-
nymum Ginuccium Cameræ Apostolicæ
Clericum in Angliam ablegaret, ut Re-
gem quoque ad eandem armorum societ-
tatem induceret; interea vero Capua-
nus Episcopus præcipuus Papæ Mini-
ster Placentia Papiam contendit, ut par-
tam de Gallis victoriam Lanoyo gratu-
laretur. Hunc Præsul ad ineunda con-
cordiæ pacta adeo propensum experie-
batur, ut rupta omni mora Romam re-
verteretur, ac Papam a suscepto fœde-
ris consilio dimoveret, quapropter Cle-
mens nimia inconstantia, cujus tamen
pœnas paulopost dedit, abreptus Alba-
niæ Ducem compulit, ut cum suo exer-
citu e portu Civitatis veteris solveret,
ac in Gallias rediret: insuper Ginuccium
Caletò, ubi jamjam advenerat, reverti
jussit; igitur privata commoda publicis
præferens, fœdus cum Neapolis Prore-
ge, qui Cæsaris nomine agebat, con-
cludere festinabat, cujus præcipuos jam
articulos exhibeamus; sancitum itaque
L. Cæsar Francisco Sfortiæ inauguratio-
nis

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

nis diploma pro Mediolanensi Ducatu concedat, eique hujus ditionis possessionem reddat. II. Florentini, seu eorum nomine Pontifex, Cæsareo exercitui centum aureorum millia solvat; eo quod ita promissum esset in quodam articulo foederis cum defuncto Papa initi, vi cuius integro anno post obitum alicujus, qui foederi accesserat, Cæsari subsidia solvi jubebantur, ea tamen lege, ut hæc centum aureorum millia restituerentur, si Cæsar intra quadrimestre foederi nomen dare renueret. Præterea tres articuli, qui speciatim Papam respiciebant, privatim scribebantur. I. Mediolanenses non alio, quam sale Romandiola advecto utantur, qui tamen eis juxta pretium a Leone X. præstitutum vendatur. II. Cæsar Ferrariæ Ducem adstringat, ut Reggium, & Ruberiam urbes, quas defuncto Papa Ecclesiæ eripuerat, restitueret. III. Summus Pontifex in Neapolis Regno beneficia libere conferat, Cæsar vero juri cedat, quod ex Constitutione Urbani II. Papæ in Sicilia Clerum habere contendit. Denique alio articulo Papa spondit, se Cæsari centum aureorum millia daturum, Ducemque Ferrariensem in gratiam recepturum, dummodo is partem Pontifici summam persolveret.

§. CII.

Sæcul XVI.

A.C. 1525.

§. CII.

Cæsar de parta victoria per nuncios certior factus.

*Ant. de Vera
hist. de Char-
les V. p. 101.
68 103.*

Alterâ post Papiense prælium die Antonius Caracciolus Piscarii Marchionis Nepos per Genuensem ditionem ad Cæsarem decernebatur, omnique, quæ posset celeritate iter suum perficere jubebatur, nec minus eodem tempore Panelozza Equestris Ordinis Commendator Regiis publicæ fidei literis munitus per Franciam mittebatur, ut sacram Cæsaream Majestatem de tota rei gestæ serie penitus edoceret. Faustum hoc partæ victoriæ nuncium accepit Carolus Imperator Madriti, ubi tum agebat, ac Infantem Catharinam Sororem suam, quæ proxime Joanni Lusitaniæ Regi nuberet, valere jubebat. Equidem lætitia, quam ob tantos triumphos conceperat, abs dubio summa fuit, quam tamen adeo modeste suppresserat, ut adversam capti Galliarum Regis vicem dolere videretur, simulque festivos ignes accendi prohiberet, illisque, qui ejusmodi festivitates institui petebant, reponeret, nonnisi ob victorias de infidelibus partas triumphos esse ducendos.

§. CII.

§. CIII.

§. CIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.*Cæsar, quid de Galliarum Rege capto agendum, deliberat.*

Præterea, quo pacto cum Galliarum Rege ageret, Cæsar convocato suorum consilio deliberabat. Hos inter Episcopus Osimensis, qui Carolo a confessionibus erat, Gallum sine lytro liberum esse dimittendum, nullamque ei conditionem præscribendam censuit: hac enim humanitate, agebat, non modo immortale sibi nomen aquisiturum, sed etiam Franciæ Regem sibi perpetuum amicum redditurum, qui abs dubio tantam Cæsaris magnanimitatem grato animo compensabit, his idem Episcopus addidit, Carolum opitulante Galliarum Rege facile Germanis, Italisque Jura dicturum, si vero duris nonnisi conditionibus Christianum Principem libertati restitueret, odia inde ac cruenta bella eventura, ac famosum immanis ambitionis nomen in universa Europa Cæsarem reportaturum; præterea Lutheranis suppeditaturum occasionem, eo liberius reliquam Septentrionis partem hæresi sua inficiendi, cum jam ferme mediam illius oram corrupissent. Ex adverso Cattinara Cancellarius contendebat, Regem in perpetuam custodiam

Sæcul. XVI.
A. C. 1525

diam esse conjiciendum, Franciam vero a Cæsare subigendam, cum nullo validiori medio nimiam Turcarum potentiam frangere posset, quam totam Christianam Rempublicam ad unam Monarchiam redigendo, cujus caput Imperator, centrumque Francia esset. Denique Albæ Dux censebat, Galliarum Regem esse cogendum, ut libertatem suam lytro redimeret, acquisitam vero inde pecuniam tantæ victoriæ digna fore præmia, indeque maximum, quantum fieri posset, fructum esse reportandum.

§. CIV.

Conditiones libertatis Franciæ Regi oblatae.

Amborum sententia communi applausu acceptata fuit, quapropter Rodii Comes supremus Cæsareæ aulæ Magister cursoriis equis in Italiam decernebatur, ut Regi significaret, Cæsarem eisdem libertatem reddere paratum, ea tamen lege, ut præter prætenfa illius jura in Neapolis Regnum, & Mediolanensem Ducatum, sine omni prorsus conditione ac reservatione Burgundiæ Ducatum restitueret, Provinciam & Delphinatum a Franciæ Imperio avelleret, ac Borbonio Duci unacum ceteris omnibus terris cederet, ut ex iis Regnum erige-

erigeretur, quod nullo pacto a Franciæ Imperio dependeret, ac nequidem eadem clientelari nomine obnoxium esset, nec minus Galliarum Rex Angliæ Regi in omnibus plene satisfaceret, quicquid ille ab eo jure sibi debitum peteret. Has condiciones Franciscus Rex constanter rejecit, professus, se potius in carcere moriturum, quam Regnum ulla Provincia spoliaturum.

Dum hæc gerebantur, Borbonii Dux, & Piscarius indignatione in Cæsarem concepta, quod ea, quæ illis promiserat, non persolvisset, invicem conspirabant, injuriamque, quam sibi illatam credebant, ulcisci constituebant. Ergo consilium ceperunt, Franciæ Regem in suam redigendi potestatem, eumque libertati afferendi; dummodo is Piscario sua in Neapolin jura cederet, & Borbonium bonis, dignitatibus atque officiis restitueret, eique in uxorem daret ejus Sororem, quæ nuper defuncti Alenionii Ducis conjux erat. Hunc in finem Lanoyo exponebant, Regem Neapolin esse transferendum, jamque consilium maturari cæperat: at Franciscus Galliarum Rex ex nimia captivitatis suæ indignatione libertatis spem sibi metipsum præciderat; tædio enim servitutis obrutus, facile libertatem honestis sub

Hist. Eccles. Tom. XXXIV. N n con-

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

Sæcul. XVI
A.C. 1525. conditionibus se obtenturum credebat, si ipſus in Hispaniam ire, atque ſuam ex captivitate liberationem ſupplex rogare poſſet; quapropter hoc conſilium Lanoyo propoſuit, quod & ipſe ratum habuit, ut eo certius Regem a Borbonii & Piſcarii poteſtate avelleret, atque in Cæſaris arbitrio relinqueret; ea vero conſilia, quæ adverſus præſatum utrumque Belliducem cuderent, ut Rex nemini manifeſtaret, unice Lanoyus eundem adſtrinxit, voluitque, ut pro ſuo in Hispaniam itinere proprias triremes, ſed inermes transmitteret.

§. CV.

Gallarum Rex in Hispaniam deductus.

Cunctis annuit Rex, datamque fidem exſolvit; quippe Gallicæ triremes nullo tamen milite inſtructæ advehebantur, quibus Lanoyus Hispanas impoſuit copias, ac ipſemet unacum Rege vela fecit, videntibus juxta ac conſentientibus Borbonio Duce, & Piſcario, qui Neapolin verſus iter inſtitui exiſtimabant. Equidem Franciſcus Rex ſecundis ventis in Hispaniam deferebatur, verum vix appulſus, ſuum agnovit errorem, quo tali ſeſe credidit loco, ex quo ægre admodum a ſuis liberari poſſet.

posset, aliunde vero auxilii inops, non-
 nisi hostis sui arbitrio ac benevolentiae
 relictus hærere, ac non sine ingenti ti-
 more, ne in perpetuum carcerem con-
 jectus sortem suam liberæ victoris pote-
 stati committere cogeretur. Nec om-
 nino inanis erat Regis timor; quippe
 non modo nullis honorum significatio-
 nibus excipiebatur, sed nequidem illam,
 quam sperabat, magnanimitatem expe-
 riabatur: nam denegabatur eidem Cæ-
 sarem alloquendi copia, imo illam nullo
 pacto concedendam significabatur, nisi
 prius de suæ libertatis conditionibus ut-
 rinque conventum esset. Includitur er-
 go in Madritensi arce, ex qua libera exe-
 undi facultas de die concedebatur, dum-
 modo nonnisi mulo vectus, semperque
 suis præfidiis cinctus permaneret.

Sæcul. XVI.
 A C 1525.

§. CVI.

*Rex Madriti periculoso morbo
 correptus.*

Asperior hæc agendi ratio tantopere
 Regis animum afflixit, ut gravi mor-
 bo obrutus, in maximum vitæ discrimen
 adduceretur.

Mem. du Bes-
 laii 3.
 Steid 1. c.
 1. 5. p. 166.

§. CVII.

Idem a Cæsare salutatus.

Verebatur Cæsar, ne Rege mortuo
 partæ

N n 2

Sæcul. XVI partæ victoriæ fructu privaretur, quo-
A. C. 1525. circa eum invisurus ante captivi sui cu-
 bile equo descendit, ac portæ proximus
 caput detexit. Galliarum Rex mox ubi
 adventantem conspexit, cubicularem,
 qua tegebatur, vittam detraxit, ac fer-
 me inter lacrimas Cæsarem prævenit,
 eumque flebili voce allocutus inquit:
 „ Ecce me! Cæsareæ Majestatis suæ ca-
 „ ptivum, suæque potestati subditum,
 „ non libertatis, sed vitæ gratiam a te
 „ exoro; „ cui reposuit Imperator: „ non
 „ te velut captivum, sed tanquam fra-
 „ trem, & amicum meum habeo, nec
 „ aliud mihi est consilium, quam ut tibi
 „ & libertatem & vitam donem. „ Hæc
 Cæsar generoso animo dicens Regem
 amplectitur, ejusque capiti vittam, quam
 adhuc manu tenebat, imponit. Poste-
 ra autem die rursus Regem invisit, nul-
 lam tamen de concedenda libertate men-
 tionem fecit, sed mediam ferme horam
 cum eo collocutus illum valere iussit,
 hæc subjungens verba: brevi Ordinum
 comitia, quæ Toleti celebrantur, ab-
 solventur, postea te sæpius invisurus
 Madritum revertar; interim salutis tuæ
 curam habeto, tua causa semper mihi
 cordi erit, ejusque exitum tuæ volun-
 tati relinquo.

§. CVIII.

§. CVIII.

Sæc. XVI.
A.C. 1525.*Galliarum Rex sanitati restitutus.*

Ex tam benevola Cæsaris visitatione Franciscus Rex, medicorum iudicio, indies morbo levare cæperat, ac saltem tertium usque diem febris sua defunctus paulo post integræ valetudini restituebatur. Credebant nonnulli, quod Rex haud parum convaluisset ex Alençonis Ducissæ adventu, quæ securitatis literis a Cæsare impetratis munita, Mense Septembri *Aquis mortuis* e portu solvit, & Madritum venit, ut Regem fratrem suum officiosa salutatione consolaretur. Eadem ab ejus Matre, quæ tum Regnum administrabat, plenam obtinuit facultatem, ut cum Cæsare, qui ea adventante adhuc Madriti agebat, de Regis libertate pacisci posset; verum illa haud diu in Hispaniis morabatur, cum facile perspiceret, recuperata Regis fratris sui salute adeo non ejus liberationem maturari, ut potius inde longiorem moram acciperet. Nihilominus illa negotio finem imponere constituit; cum vero Cæsarem a præscriptis conditionibus nihil remittere cerneret, in Gallias rediit, & Franciscum de Tournon Ebreundensem Archiepiscopum subrogavit, qui pacis negotia apud Imperatorem prosequeretur.

N n 3

Cete-

Sæcul. XVI.
A.C. 1525

Ceterum Rex captus Ducissæ Regias tradidit literas, quibus Delphino ejus filio Regni administrandi facultatem concessit, eumque in Regem coronari permisit. Hoc facto palam testabatur, quod potius in carcere mortem oppetere, quam iniquis conditionibus sibi propositis libertatem suam redimere velit. Post hæc Cæsar Alenconiam Ducissam abeuntem insequi, illamque finito liberi comœtus termino comprehendi jussit; verum illa iter suum tanta celeritate perfecit, ut ultima die, qua datæ securitatis literæ expirabant, vix non Franciæ fines attingeret, ubi Claremontius eam præstolabatur, ac tam valido præsidio munitam excipiebat, ut Cæsaris jussa exequi non auderent illi, qui eam insequerentur.

§. CIX.

Libertatis perficiendæ negotium Madriti continuatum.

Quamvis Carolus Cæsar Toletum ad Regni comitia reverteretur, non tamen ob ejus absentiam Madriti cessavit libertatis Francisco Regi procurandæ negotium. Hanc in rem Joannes de Selva duas pacis ineundæ vias proposuit, per quarum primam fœdus inter utrumque Monarcham sancendum censebat, ut eorum querelæ utrinque extinguerentur,

tur, quo consilio Carolus Imperator clariorem longe laudem, nomenque Cæsarea Majestate dignum consecutus fuisset. Alterum autem concordiae medium erat, ut vel certum libertatis petita Regi præscriberetur, vel præscriptum mitigaretur, eo quod æquitatem excedere videretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. CX.

*Postulata Cattinarae Cæsarei
Cancellarii.*

Ad hæc reposuit Cattinara Cancellarius, prius tollendum esse diffidorum fomitem, ac demum de solida inter utrumque Monarcham pace agendum; hanc in rem Regis jussu Cæsaris postulata fuisse discussa, eaque probe examinata, nullatenus immodica, sed potius valde moderata censeret, additque, cum Cæsar, quamvis Occitaniam, & Delphinatum, utpote Regna Imperio, vel Arragoniæ obnoxia prætenderet, ac nequidem Franciscus justum præscriptionis titulum opponere posset, pro sua tamen modestia non nisi Burgundiæ Ducatum postularet, quem Ludovicus XI. Franciæ Rex iniqua usurpatione Mariæ de Burgundia, quæ Caroli V. Avia, & Caroli postremi Burgundiæ Ducis filia erat, eripuit.

N n 4

Præ-

Sæcul. XVI.

A.C. 1525

Præterea petiit Cancellarius, ut Rex supremo in Belgium dominio nuncium mitteret, id exigente pacto, quod Ludovicus XI. cum Carolo Burgundo Peronnæ iniit, ac se huic juri cessurum spondit, si forte Atrebatense fœdus inter Carolum VII. ejus Prædecessorem, & Philippum *Bonum* violaturus esset; cum igitur Franciæ Reges horum successores hujus fœderis fidem fefellissent, hanc injuriam reparare, Francisco incumbere aiebat. Ad utrumque hunc articulum Joannes de Selva quædam reponere conabatur, declarans, Burgundiæ Ducatum, priusquam Burgundi Duces illum possedissent, jamjam Franciæ Imperio fuisse junctum, atque ab illo tempore, quo præfati Duces eo potiti essent, nonnunquam Franciæ liberis in portionem hæreditariam fuisse relictum; si tamen Cæsar prætenso in hunc Ducatum juri vehementius insisteret, hanc litem in Curia Parium Franciæ esse dirimendam, hanc enim Ducatum Parium Franciæ ditionibus esse annexum. Ferventibus hisce litigiis Francisci Regis liberatio præter spem suam diutius differebatur.

§. CXL.

§. CXI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.*Borbonii Dux in Hispaniam delatus.*

Dum hæc interea agitabantur, Borbonii Dux in Hispaniam profectus Madritum venit, Cæsaris jussu (ut fertur) accitus; Carolus enim, cum circa *Guicci. l. 16* Francisci Regis libertatem absque illius consensu nihil decernere statuisset, ejus præsentiam oppido necessariam fore significabat. Adventantem Carolus Imperator summis honoribus excepit, paulo post tamen Dux haud obscure cognoverat, quod Cæsaris benevolentia sibi Procerum invidiam accerferet, illisque ejus præsentia permolesta accideret; Nec temera erat hæc suspicio; quippe horum unus secreta, quæ in eum fovebat consilia, palam prodebat; cum enim a Cæsare rogaretur, ut in suo Palatio Borbonio Duci habitationem concederet, hæc reposuit Carolo: *Se Cæsari, quod vellet, denegare haud posse, verum sciret, se domum suam, ubi discessisset Borbonius, solo æquaturum, existimare enim se, illam, ubi proditoris infamia contaminata esset, indignam fore, ut deinceps ab honoratis Viris inhabitaretur.*

N n 5

§. CXII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. CXII.

*Cæsaris artes erga summum
Pontificem.*

Interim Sueffæ Dux Romæ compere-
rat, quæ Cæsar circa nuperum fœ-
dus cum Clemente VII. initum decrevis-
set, quocirca protinus Papam adiit, ei-
que Cæsaris nomine significavit, quod
Carolus quidem ad fœderis executionem,
ac testandam fidei suæ integritatem pro-
pensum gereret animum, non nulla ta-
men occurrerent, quæ circa tres arti-
culos exponeret, cum Cæsar arbitraretur,
eos haud posse ratos haberi; & qui-
dem Primo sancitum agebat, ut urbes
a Ferrariæ Duce usurpatæ restitueren-
tur, quamvis Cæsar haud possit S. R.
Imperii juribus derogare, nec Ducem ad-
stringere, ut Reggium, utpote urbem
clientelari nomine Imperio obnoxiam
Sedi Apostolicæ redderet. II. Inquie-
bat, quod Prorex potestatem suam ex-
cesserit, nec Mediolanenses incolas ad
falem in Papæ ditionibus emendum ob-
stringere, nec hac supra re pactum cum
Pontifice inire potuerit, cum id unice
Mediolani Ducem respiceret, nec Cæ-
sareæ Majestati integrum esset, pro al-
tero fidem suam obstringere. III. Deni-
que dicebat, Cæsari minime probari arti-
ticu-

ticulum, qui Neapolis Beneficia spectaret, nisi saltem ea addatur clausula, ut hac in re juxta usitatum Neapolis Regum Prædecessorum suorum morem procedatur. Cum igitur Papa probe cognosceret, nolle Cæsarem hosce tres articulos ratos habere, vicissim & ipse reliqua acceptare recusabat, proin totum utrinque negotium velut infectum permansit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. CXIII.

Investituræ diploma pro Mediolanensi Ducatu a Cæsare Francisco Sfortiæ concessum.

Alius adhuc articulus Cæsaris fidem quodammodo suspectam reddebat; quippe Hurtado Lopelius in Italiam ire jubebatur, ut Italos in Caroli obsequio contineret. Hic idem ad Franciscum Sfortiam pro Mediolani Ducatu inaugurationis diploma deferebat, adjecta tamen conditione, quæ vix impleri posse credebatur; nam vi istius Dux obtrinebatur, ut ad compensandos sumptus, quos Cæsar in tuendo Ducatu impendisset, ducenta aureorum millia penderet, præter alia ejusdem monetæ millia, quæ ob diploma numerare compelleretur. Summa hanc conditionem explendi difficultas non paucis suspicionem ingessit, Cæsarem eo consilio Sfortiam ita onerasse, ut

ut

Sæcul. XVI ut Mediolanum sibi metipſi vindicandi
 A.C. 1525. obtentum confequeretur.

§. CXIV.

*Piscarius ad Cæsareos Italia pellendos
 a Morono ſollicitatus.*

Hæc agendi ratio tantopere Hieronymum Moronum Mediolani Cancellarium commovit, ut Franciscum Sfortiam in hujus Ducatus poſſeſſione firmare, conſtanter animo conſtitueret, & hanc ob rem Cæsareos penitus ex præfata urbe expellere moliretur, qui etiam ſub idem tempus opportune intellexerat, Piſcarium Marchionem Cæsari indignari, eo quod ei Carpienſem Principatum denegaſſet, illumque Veſpaſiano Columbæ dono dediſſet: Hujus igitur iram, averſumque animum in rem ſuam vertere, eumque ad ſua conſilia pertrahere ſtudebat, huncque in finem eundem rogabat, ut patriæ ſuæ, priusquam ab exteris penitus opprimeretur, vindex ac liberator exiſteret. Præterea eidem exponebat, Sfortiæ nonniſi nudum Ducis nomen relinquere, nec alia, quam ut exercitui Cæsareo ſtipendia numeraret, auctoritate frui, interim tam ipſum quam ejus ſubditos ad extremas redigi anguſtias ob immodicam auri vim, quam Cæſar pro diplomate exigere; inſuper adde-

*Ant. de Ver.
 hiſt. de Charl.
 V. p. 122.*

addebat, quod ad excutiendum fervitu-
 tis jugum Italis haud vires deficerent,
 dux vero, qui præiret, deesset, popu-
 laresque sui exterum dominium pertæsi
 Piscarium pro suo Principe exoptarent,
 eoquod inter Neapolitanos Proceres po-
 tentia ac divitiis nemini secundus esset;
 rem ceteroquin nullius ferme negotii es-
 se ajebat; cum Papa, Veneti ceterique
 Italiæ Principes libenti animo, totis-
 que viribus suppetias ferrent, imo
 ipsa etiam Francia præsto futura foret,
 nec minus Angliæ Rex aliunde Cæsari
 infensus existeret, ut proin ejus arro-
 gantiam tandem supprimi, summopere
 gavifurus sit. Piscarius ejusmodi pro-
 positionem non sine ingenti stupore ex-
 cepit, nec tamen illam penitus rejecit,
 sed ex Cancellario sciscitabatur, cujus
 jussu hæc ipsi proposuisset: reposuit Mo-
 ronius, Papam Venetosque datæ fidei
 sponsores fore; nec minus idem quoque
 firmari curaverat per Mentebonam su-
 um a secretis ministrum, quem Roma
 evocavit; adstipulabatur etiam Sigis-
 mundus Santus, qui idonea agendi fa-
 cultate instructus, Venetiis ex industria
 huc advenerat.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1525.

Ant. de Ven.
 .821.9.2.1

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

§. CXV.

*Pollicitatio Neapolitani Regni Piscario
facta, atque ejus anxietas hac su-
per re sublata.*

*Ant. de Vera
l. c. p. 123.*

Ne Piscarius Moroni consiliis totum sese addiceret, unica obstabat anxietas; quippe dubius hærebat, an fidem Cæsari, cujus etiam subditus esset, promissam jure violare posset. Verum Moronus confestim reposuit, illum equidem Imperatori subjectum esse, arctiori tamen vinculo Pontificis obsequio adstringi, cum hic supremus esset Neapolis Princeps, & Cæsar nonnisi Dominium utile haberet, in hujus autem præjudicium directo Domino obsequi, omnino liceret, atque aliunde beneficiariam hujus Regni possessionem a Papa Carolo V. jure concedi haud potuisse, eoquod ipse jamjam Cæsaris dignitate insignitus esset; idipsum vero omnino adversaretur retroactis cum Sede Apostolica pactis circa Neapolis Regnum initis, vi quorum utraque ditio simul ab eodem possideri haud posset. Nihilominus, cum Piscarius in hac occasione vir timoratus, ac honestus haberi ambiret, ad tollendam animi anxietatem Theologiæ, ac jurisprudentiæ peritissimos suppressis tamen petentium nomi-

mini-

minibus consulere voluit. Hi omnes ad mentem summi Pontificis decidebant, quod Diploma Cæsari concessum non valeret, utpote præcipuo inaugurationis articulo contrarium, quo inhibitur, ne beneficiaria hæc ditio ab ullo Cæsare possideri possit, ut proin subditus Neapoli ortus ex conscientiae legibus potius summo Pontifici tanquam supremo Domino, quam Imperatori morem gerere adstringeretur, eoquod hic duntaxat feudi Dominus esset.

Sæcul. XVI.

A.C. 1525.

§. CXVI.

Fœdus Papæ, Piscarii, Mediolanensis Ducis, & Venetorum adversus Cæsarem.

Igitur fœdus cum Piscario concluditur, illudque Moronus Mediolanensis Ducis nomine, Mentebona autem pro Clemente VII. & Santus pro Venetis subscribunt. Præcipui illius articuli erant. I. Ad Cæsareos ex Italia propulsandos inter fœderatos mutua erit armorum societas, cui etiam Galliarum Rex accedere sollicitabitur. II. Piscarius illius caput erit, ac probatæ fidei Cæsareas, quotquot poterit, copias ab exercitu segregabit, ut disjunctæ eo facilius opprimi possent, si fors ad expugnandum Neapolis Regnum sua Piscario servitia præ-

*Guicc. l. 16.
Brantome
vie du Mar-
quis de Pis-
caille.*

Sæcul. XVI. præstare renuerent. Pactis hisce conditionibus quantocius Mentebona Romanam petiit, ut eas Pontifex ratas haberet; Sanctus vero Lugdunum ire spondit, ut Regni Administratricem ad firmandum hoc fœdus induceret. Hæc eo libentius nomen suum dedit, quo acerbius in Cæsarem odium foveret, eo quod ipse Regem ejus filium libertati restituere pertinacius cunctaretur: Itaque Fœderatis accedens, non solum religiosum rei gestæ silentium, sed etiam mediam sumptuum partem promisit. Sub idem tempus Mentebona disparuit, nec ultra unquam reversus est; Sanctus vero e Francia redux in Grifonum alpibus a Latronibus occisus fuit; quamvis rumor esset, utrumque Antonii Levæ impulsu a Sicariis fuisse sublatum.

§. CXVII.

Conspiratio ab ipsomet Piscario Cæsari manifestata.

Paulo post nunciatum erat Piscario, Mentebonam nusquam ultra inveniri, Sanctum quoque fuisse trucidatum, quocirca Piscarius secretas eorum epistolas fuisse interceptas, ac cuncta conspirationis arcana prodita veritus, Castaldum intimum amicum suum ad Cæsarem ablegabat, qui clandestina eidem mani-

manifestaret confilia, simulque significaret, se ejusmodi molitionibus simulate assensisse, easque detegere fuisse cunctatum, ut totam conspirationis seriem penitius assequeretur, eoque certius fœderatos falleret. Rescripit Piscario Cæsar, eumque admonuit, ut cum Papa, Venetis, & Morono Cancellario agere pergeret: ipse vero interea cum iisdem rem ita gessit, ut brevi certæ in Italia pacis spes affulgere videretur.

Sæcul. XVI.
A. G. 1525

§. CXVIII.

Cæsar Italiam manifestat, sibi conspirationem esse detectam.

Paulopost Imperator Castaldum ad Piscarium remisit, eique significari jussit, nunc e re fore, ut Italiam ostendatur, eorum conspirationem esse detectam, proin Moronum Cancellarium custodiæ dandum, nilque intentatum relinquendum, ut Mediolanensis Ducatus rursus in Cæsaris obsequium revocetur.

§. CXIX.

Cæsaris jussa Piscario data pro Mediolanensi Ducatu expugnando.

Piscarius accepto Cæsaris mandato quantocius copias suas auxit, Papiam & Laudam munimentis firmavit, ac nova his urbibus præsidia imposuit, denique Morono significari jussit, rupta

Guicci. l. 16.

Hist. Eccles. Tom. XXXIV. Oo omni

Sæcul. XVI. A. C. 1525. omni mora Novarram contenderet. Præ-
 texebat Piscarius, magni moliminis rem
 effectui tandem esse dandam, re tamen
 ipsa Cancellarium comprehendere, eo-
 que facilius Sfortiam cliente suo priva-
 tum opprimere intendebat. Paruit Mo-
 ronus, eumque Piscarius in quoddam
 cubile adduxit, in quo Antonius de Le-
 va sub tapete absconditus latebat, quo
 facto Piscarius eum induxit, ut docu-
 menta exhiberet, ex quibus tam sua,
 quam Domini acta instrui possent; po-
 stea autem Moronum valere iussit. Can-
 cellarius ubi ex Piscarii cubiculo exie-
 rat, valde attonitus hæsit, cum Leva
 eidem Cæsaris mandata significaret, ca-
 ptumque die decima quarta Octobris hoc
 anno ad Papiense castrum abduceret.

§. CXX.

*Mediolani Ducatus capto Morono a
 Piscario occupatus.*

Moroni captivitate evertentur con-
 silia Papæ & Venetorum, præci-
 pue vero Mediolani Ducis, qui de se a-
 ctum esse existimabat, eo potissimum
 nomine, quod Piscarius Mediolanum,
 Cremonam, cunctasque urbes Abduæ
 flumini adjacentes sibi tradi peteret.
 Hoc fato non parum adversa Sfortiæ va-
 letudo.

letudo augebatur, qui tum ex pestifera Sæcul. XVI.
 feбри decumbebat; hinc cuncta, quæ Pi- A.C. 1525.
 scarius postulabat, confestim concessit,
 ac munitiora Mediolanensis Ducatus lo-
 ca Hispanorum potestati reliquit.

Piscarius occupatis hisce urbibus im- Ant. de Vera
 provida Sfortiæ facilitate, qua seipsum hist. de Char-
 spoliabat, insolentior factus, tam im- les V. p. 125.
 portune institit, ut insuper Mediolani,
 & Cremonæ arces sibi cedi peteret, si-
 mulque a Duce postularet, ut Angelum
 Rixium, & Politianum, quorum primus
 Sfortiæ, alter Morono a secretis erant,
 sibi traderet, lata in eos sententia pu-
 niendos, si rei invenirentur. Ad hæc
 reposuit Sfortia, quod sibi haud inte-
 grum foret duas hasce arces, quæ solæ
 sibi superessent, alteri quam Cæsari tra-
 dere; cum ab hoc illas fidei suæ com-
 missas accepisset, de cetero ajebat, se
 securitatis literas petiturum, ut nomine
 suo Legatum ad Cæsarem in Hispanias
 mittere posset. His insuper addidit,
 quod Rixii sui a secretis Ministri præ-
 sentia indigeret, Politianum autem ideo
 retineret, ut comprobatum redderet,
 quod ipso nec volente, nec sciente Mo-
 ronius, cum se ex gravissimo morbo in
 extremum vitæ discrimen adductum cer-
 neret, ementito Ducis nomine plura
 ediderit mandata.

Sæcul. XVI.

A.C. 1525.

§. CXXI.

*Mediolanenses fidem suam Cæsari
juramento obstringentes.*

*Ant. de Vera
loc. cit. p. 126.*

Percepto Sfortiæ responso Piscarius, quæ clam moliebatur, aperte prodebat, statimque Mediolanensis Ducatus Ordines convocans, Sfortiam læsæ Majestatis reum pronunciabat, cives vero, ut fidem suam sacramenti Religione Cæsari obstringerent, compulit. Postmodum Cremonense castrum juxta militaris disciplinæ Leges obsideri, arcem vero Mediolanensem profunda fossa cingi jussit; hac ratione Cæsar Mediolanum occupandi adeo verosimilem nanciscebatur obtentum, ut nec Papa, nec Veneti hanc ob rem jure conqueri possent, cum Cæsaris esset, debita poena Sfortiæ perfidiam plectere, eoque quod conspirationis conscius idoneis testibus probaretur. Nihilominus summus Pontifex gravi in Piscarium indignatione concepta, eundem ingratitude, fractæque fidei reum arguebat, eidem exprobrans, quod variis artibus alios ad sua studia eo sine pertrahere conaretur, ut illos nefarie proderet, simulque in summi Pontificis exitium eo potissimum tempore conjurasset, quo ab eodem perpetuam Beneventani Ducatus administrationem accepisset, quamvis tum
inter

inter omnes Ecclesiæ ditiones nulla re-
ditibus amplior esset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. CXXII.

*Sfortia a Venetis in suo Ducatu
defensus.*

Præterea Veneti majori quam Ponti-
fex, cura angebantur; hi enim, si
concordiæ pactis, quæ Martinus Car-
racciolus apud Rempublicam Cæsaris
Legatus erexerat, accederent, omnem
recuperandæ libertatis spem sibi præci-
di cernebant, si vero hanc pacem cum
Cæsare rejicerent, merito verebantur, ne
bellum ad continentem Reipublicæ ditio-
nem extensum sustinere cogerentur; pa-
lam enim minitabatur Piscarius, se captis
Mediolanensi & Cremonensi arcibus
mox infesta Venetis arma illaturum.
Nihilominus potius extrema quævis
aggredi decreverant, quam ultra Au-
striacæ Domus imperium in Italia tole-
rare: quapropter de honesto, quo ini-
quum eorum consilium tegerent, ob-
tentu parum solliciti, absque ambagi-
bus Caracciolo aperiunt, fœdus, quod
cum Cæsare a Venetis initum memo-
rasset, eo duntaxat fine ictum fuisse, ut
Sfortia in Ducatus Mediolanensis pos-
sessione firmaretur; huic vero armorum
societati Cæsarem nunquam accessu-
rum, se haud obscure ex eo colligere a-
jebant,

Secl. XVI.
A.C. 1525.

jebant, quod Ducem ditione sua exueret, proin nisi prius Sfortia in Ducatus sui jura reponeretur, nunquam se vires suas Cæsareis juncturos; nec ab hac conditione se aliquid remissuros declarabant.

§. CXXIII.

Papa foederi accedere hæsitans.

Si Clemens Papa pari modo obfirmatum monstrasset animum, in graves angustias conjectus fuisset Imperator; ast ille nimia solertia usus in laqueos, quos non ita pridem evaserat, incidit. Agebat Madriti Salviatus Cardinalis Papæ Legatus, qui cum Cæsare de pace tractabat, cum tamen eodem tempore de conflando foedere adversus Cæsarem cum Venetiarum ac Franciæ Legatis ageret. Hujus Legationis exitum sollicite expectabat Pontifex, cumque longior illius esset mora, diem præstituit, qua armorum societas cum Gallis, Venetisque concluderetur; sub idem vero tempus nuncium acceperat, foedus itidem Madriti esse firmatum, vi cuius Cæsar consentiebat, ut Reggium & Rubiera Sedi Apostolicæ redderentur; hoc igitur nuncio lætus Imperatori adhærere constituit, nec ultra de foedere cum Gallis ac Venetis mentionem fieri sustinebat.

§. CXXIV.

§. CXXIV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

*Fœderis pacta a Cæsare proposita
Papæ iudicio ambiguis verbis
repleta.*

Paulo post Ervera Ordinis Equestris
Commendator hujus fœderis tabu-
las in Italiam detulit, easque ad Sues-
sæ Ducem, qui Romæ pro Carolo V.
legatione fungebatur, transmisit, ut illas
summus Pontifex ratas haberet. His
perlectis Clemens eas ambiguis, tamque
dubiis verbis conceptas reperit, ut as-
sensu suo illas firmare renueret. Equi-
dem Imperator se Mediolanensem Du-
catum Sfortiæ, si pristinæ restitueretur
valetudini redditurum, aut si morere-
tur, illius possessionem Cæsareo diplo-
mate Borbonio Duci asserturum spo-
pondit: nihilominus Datarius, nomine
Giberti, summo Pontifici significabat,
quod vox: *moreretur*, ambigua esset, cum
de morte civili æque ac naturali intelli-
gi posset, ut proin nequidem violata
promissi fide Cæsari integrum foret,
Sfortiam instructis contra eum actis
condemnare, & Borbonio Ducatum, quo
Sfortiam spoliaverat, concedere.

§. CXXV.

*Papa ab Hispano Legato circum-
ventus.*

Ipsemet Sueffiæ Dux plurimum se mi-
rari

Secul. XVI
A.C. 1545

rari simulabat, quod fœderis conditiones ambiguis adeo verbis conscriptæ essent, id tamen ex industria minime factum constanter asseverabat, Pontifici etiam significans, pacta, ut sibi benevisum fuerit, libere conciperet, insuper fidem suam obstrinxit, se Cæsari persuasurum, ut huic fœderi infra bimestre subscriberet, dummodo vicissim Papa sponderet, se interea quiete permansturum, nec ullo pacto armorum societati cum Gallis, Venetisque sancitæ accessurum. Hæc Legatus tanta proposuit fiducia, ut Papa promissi amplitudine seductus cunctis conditionibus annueret, id licet dissuadentibus suorum amicorum non paucis, qui dolum subesse haud temere suspicabantur.

§. CXXVI.

Piscarii Marchionis obitus.

Paul. Jov.
hist. Pisarii.
Guicc l. 16.
Ant de Vera
p. 17.
Mzerai
abregé chro
no. 4. p. 317.

Hæc Mense Novembri gesta fuere anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto, quo Mediolanensis Dux pristinæ restitutus erat valetudini: econtra vero Piscarius Marchio die vigesima nona ejusdem Mensis anno ætatis suæ trigesimo sexto Mediolani vivis ereptus est, non sine ingenti Venetorum commodo, qui abs dubio temeritatis suæ, qua coram Caracciolo se Cæsaris hostes declarabant, severas dedis-

sent

fent pœnas. Ceterum rumor erat, Pif-
 carium veneno fuiffe ſublato; paulo
 ante mortem ſuam Moronum liberum
 dimitti juffit, verum Antonius de Leva
 ejusmodi mandatum flocci habuit.
 Corpus ejus Neapolim delatum eſt, ubi
 hodieſum ejus tumba ac ſepulcralis in-
 ſcriptio viſitur.

Sæc. XVI.
 A. C. 1525.

§. CXXVII.

*Borbonii Dux delato exercitus im-
 perio in Italiam a Cæſare
 miſſus.*

Imperator comperta Piſcarii morte,
 quantocius Borbonium in Italiam
 contendere juffit, ut ibidem Cæſarei ex-
 ercitus imperium ſuſciperet; nec mi-
 nus Cæſar eundem Mediolanenſis Du-
 catus diplomate augere conſtituit: Aſt
 Salviatus Cardinalis ei expoſuit, ſibi
 haud perſuaderi poſſe, quod Itali Ducem,
 qui e gente eorum non eſſet, unquam
 toleraturi forent.

§. CXXVIII.

*Cæſaris conſilium de Borbonio in
 Mediolani Ducem creando.*

Nihilominus Imperator, ſpreto Salvia-
 ti conſilio, Borbonio hæc ſignifica-
 ri juffit: „ Animo conſtitui, beneficia-
 riam Mediolani poſſeſſionem tibi con-
 ferre

Secul. XVI
A.C. 1525.

„ ferre, accedente Itatorum consensu,
 „ quem vero cum ultro obtinere ab eis
 „ non valeam, invitis iis te Mediolani
 „ Ducem creabo; hanc ob rem cum
 „ Galliarum Rege de concordia agam;
 „ jam enim utriusque consensu cuncti
 „ pacis articuli fuerunt acceptati, ex-
 „ cepto illo, quo Franciscus I. Eleono-
 „ ram sororem meam ac Lusitanix Re-
 „ gis viduam in uxorem postulavit; e-
 „ quidem me minime latet, hanc tibi
 „ in sponsam fuisse promissam, nihilo-
 „ minus animo revolvam, in tuo con-
 „ sensu de Eleonoræ nuptiis cum Gal-
 „ liarum Rege ineundis pacis summam
 „ esse positam. „ Reposuit Borbonius
 Cæsari, „ privata mea commoda publi-
 „ cis minime præferenda scias, Augu-
 „ stissime Imperator, Regiæ, quam mi-
 „ hi gratiose spondidisti, affinitatis
 „ haud me dignum existimo, nisi eam
 „ amborum juxta ac totius orbis poten-
 „ tissimorum Principum reconciliatio-
 „ ni præponere velis, si tamen hæc ab
 „ illa omnino dependet, id vero unice
 „ instanterque rogo, ut nulla mora in Ita-
 „ liam tendere mihi permittas, ne nu-
 „ ptiis interesse compellar. „ Placuit
 Cæsari Borbonii obsequium, ac reddita
 gratiarum actione nonnisi diploma eo-
 dem die expediri jussit, quo eundem ex-
 ercitus sui Ducem in Italia constituit;

ii

in secretiori tamen Senatu decerni præcepit, ut quamprimum adversus Sfortiam iudicii acta plene essent instructa, simul beneficiario nomine Mediolani Ducatum consequeretur, quamvis Cattinara Cancellarius æque ac Prorex nullatenus eidem assensu suo suffragarentur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

§. CXXIX.

Borbonii Dux in Italiam profectus.

Accepto Cæsaris mandato Borbonius rupta omni mora Barcinonem contendit, ut eo expeditius triremes, quibus in Italiam veheretur, instruerentur; decernebantur eodem tempore Franciæ Deputati, qui pactis de Francisci Galliarum Regis liberatione ultimam manum admoverent. Hæc cum interea agerentur, Galli cum Angliæ Rege fœdus pepigere. Committebatur grave hoc negotium sollicitudini Joannis de Brinon, Vilanæ, & Autelli Toparchæ supremi Rothomagensis Parlamenti Præsidis, necnon Joachimi Passani, quem Regina Regni Procuratrix plena agendi facultate muniebat; cum vero hæc nonnisi generalis esset, ipse autem speciali potestate indigeret pro decernenda solutione pecuniarum, quas Galliarum Rex Anglo debebat, idcirco ad ean-

Guicc. l. 16.

Auteuil

Sæcul. XVI eandem die decima sexta Augusti nova
A.C. 1525. mandata mittebantur. Tractabatur
 hoc negotium unacum Volsejo Cardinale, cujus opera Mooreæ, quæ est Regis Angliæ villa, die trigesima Mensis Augusti hoc anno quinque pacta fuere conclusa.

§. CXXX.

Pacta inter Angliæ Regem, & Francici Regni Administratricem firmata.

Daniel hist. de France to. 5. p. 549 Du Rapin. Thoiras hist. d' Angl. tom. 5. p. 207.

Primo pacto sanciebatur armorum societas Angliam inter & Franciam adversus omnes, qui alterutram invaderent, comprehensis etiam utriusque Fœderatis, dummodo nullam quam alterutri horum Regum eripuissent, ditionem possiderent a tempore, quo Londinense fœdus die secunda Octobris Anno millesimo quingentesimo decimo octavo firmatum fuit. Hac conditione excludebatur Imperator, qui nuper Mediolani Ducatum armis suis subegerat. Præterea Henricus spondit, se captivi Galliarum Regis liberationem opera sua apud Cæsarem effecturum, pactis quibusdam, iisque honestis conditionibus.

Alterum fœdus illam, quam Galliarum Rex Henrico debebat pecuniarum

summam concernebat, variique hanc ^{Sæcul. XVI.}
 in rem revocabantur tractatus Annis ^{A.C. 1525.}
 millesimo quingentesimo decimo quin-
 to, decimo octavo, & vigesimo initi,
 præter aliud pactum circa restitutionem
 Tornacensis urbis. Ceterum totius de-
 biti summa ascendebat ad duodevigin-
 ti centum nonaginta novem millia, &
 septingentos triginta sex nummos au-
 reos, quorum quilibet triginta octo soli-
 dos Turonenses valore suo exæquat.
 Sancitum itaque, ut hæc summa solu-
 tionibus successive diversis numeraretur,
 ac quadringenta septem millia, &
 trecenti sexaginta octo aurei quadrage-
 simo a firmato fœdere die, totidem ve-
 ro statim die prima Novembris, ac tan-
 dem usquedum debitum plene expun-
 geretur, quolibet semestri æqualis sum-
 ma penderetur. Insuper statuebatur,
 quod Henrico forte ante totam solutio-
 nem fati cedente, residua adhuc sum-
 ma ejus Hæredibus ac successoribus
 solveretur, si vero vita superstes esset,
 insuper eidem, non nisi tamen ad dies
 vitæ, centum aureorum millium pensio
 adjiciatur. Hunc articulum Regni
 Administratix jurata fide ac præsentibus
 Angliæ Legatis firmare compelle-
 batur, eidem Franciscus Rex mox, ubi
 in Gallias rediit, subscripsit. Præterea
 datæ fidei Sponsores Henrico tradeban-
 tur

Sæcul. XVI. tur Borbonius Cardinalis, Vindocinen-
A. C. 1524. fis & Longevillanus Duces, Mallevria-
 rius, Briennus & S. Pauli Comites, nec
 non Monmorencius, Lautrecus & Pre-
 zæus. Oppignorabantur etiam urbes
 Parisiensis, Lugdunensis, Aurelianensis,
 Tolosana, Ambianensis & Burdegalen-
 sis, præter Turonium, & Rhemos. Æ-
 gre admodum Regni Procuratrix alte-
 ri huic pacto assensit, eoquod regno in-
 de maximum onus accederet; annuit
 tamen, sed Regis Ministri coram Parla-
 mento adversus hæc gesta Mense Octo-
 bri palam ideo reclamabant, ut saltem
 horum oppositio Regi, si forte necessitas
 exigeret, utilis esse posset.

Tertio, Regni Administratrix Mariæ
 Henrici VIII. Sorori, & superstiti Lu-
 dovici XII. conjugi cuncta, quæ eidem
 ad usumfructum ex bonis mariti sui con-
 cessa, ac debita fuere, intercalatis solu-
 tionibus numerare jubebatur, ita, ut sub-
 scripti foederis die quinque aureorum
 millia, totidemque quolibet semestri sol-
 verentur, donec residuum debitum peni-
 tus expunctum esset. Præterea fides da-
 batur, ut ipsa deinceps portione sibi reli-
 cta libere frui posset. Præter hæc in
 eodem articulo lis de utriusque Natio-
 nis commercio dirimebatur.

§. CXXXI.

*Scotiæ negotia.*Secul. XVI.
A. C. 1525.

Quarto tractatu conventum, Regem Scotiæ inter Franciæ Fœderatos haud numerandum, nisi Scoti a vigesima quarta Decembris die adversus Angliæ Regem nil hostile molirentur. Quintum denique pactum præscribebat, ne Galliarum Rex ullo pacto permittat, ut Albanæ Dux in Scotiam revertetur, donec Jacobus V. pupillarem ætatem egressus esset. Postremo Regni Administratrix dato Chirographo sese obstrinxit, numeraturam se Cardinali Volsejo residuam pensionis suæ summam, quæ a quatuor omnino annis nunquam soluta ad triginta ferme aureorum millia ascendebat.

§. CXXXII.

Tractatus Moorefis utrinque firmatus.

Cunctos horum pactorum articulos Regni Gallici Administratrix ratos habuit, jurataque fide firmavit, nec minus eos itidem Parisiensis, Tolosanus, & Burdegalensis Senatus acceptarunt. Proceres quoque, necnon Magistratus urbium, quæ cautionem præstabant, promissi syngraphas tradiderunt. Denique ipse etiam Franciscus Galliarum Rex,

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

Rex, quamvis adhuc in Hispania captus hæreret, pacta proprio chirographo subscripsit, sui que consensus tabulas die vigesima septima Decembris datas in Angliam tranmisit. Fœdere igitur ita concluso, atque utrinque firmato Regni Procuratrix animum erexit, ut majori cum fiducia de conditionibus transigeret, quibus Rex ejus filius in libertatem assereretur. Aliunde haud exigua spes affulgebat, fore, ut Rege Anglo Gallorum studiis addicto ipse etiam Papa, Venetique illis accederent, cum adversus Cæsarem fœdus inire hucusque solo metu absterriti fuissent.

§. CXXXIII.

Comitia Augustæ celebrata.

Die vigesima quarta Mensis Maji Cæsar ad primam Octobris diem Comitia Augustæ celebranda indixit, atque in convocationis diplomate exposuit, se quidem animo constituisse, ex Pontificis sententia Synodum congregare, cum vero hoc negotium longioris esset moræ, ac aliunde in potissimis Germaniæ Provinciis Wormatiense edictum effectui haud fuisse datum comperisset, necnon plurimæ turbæ ac dissidia inter ipsos Principes, ac S. R. Imperii status essent suborta, & Turcæ quo-

quoque invasionem in Germaniam mo- Sæcul. XVI.
 lirentur, hinc inferebat, quod perpensis A.C. 1525.
 hisce rationibus comitia convocare, per-
 opportunum esset consilium, ut in il-
 lis de remedio tot malis opponendo
 deliberaretur. Ast hic Principum con-
 ventus præfixo tempore haberi non po-
 terat, quocirca illum ad S. Martini fe-
 stum differre oportebat; nihilominus
 Principum paucissimis ob rusticorum
 seditionem Augustam confluentibus, co-
 mitia ad primam Maji diem anni sequen-
 tis Spiræ celebranda indicebantur.

§. CXXXIV.

*Induciæ inter Anglos, & Scotos
prorogata.*

In Scotia Angufanus Comes Regni ad-
 ministrationem, quam sibi non nisi
 ad quadriennium creditam habuit, a-
 deo in rem suam vertebat, ut illam evo-
 luto etiam hoc temporis spatio dimit-
 tere renueret. Hujus ambitio tanto-
 pere Argilam Comitem offendit, ut in-
 dignatione commotus aula excederet,
 Lenonius vero Comes, quamvis non
 minus eidem infensus esset, inde tamen
 non recessit. Regina æque ac Aranus
 Comes comperto Lenonii odio cum eo
 foedus pangere moliuntur, eumque in-
Hist. Eccles. Tom. XXXIV. P p du-

Sæcul. XVI.
A.C. 1525

ducunt, ut Regi inspiraret generosum sese e manibus Angufani Comitis eripiendi desiderium, quamvis tamen is hoc propositum non nisi anno sequenti effectui dare posset.

Ceterum Scotiæ Proceres solemnem in Angliam decernebant legationem, cujus caput erat Cassilis Comes, qui Regis nuptias cum Maria Angliæ Regis Filia conciliaret. Obstabant tamen haud leves hinc inde difficultates, ob quas induciæ protrahebantur, ut Comes opportunum nancisceretur temporis spatium, quo in Scotiam proficisci, ibique nova mandata accipere posset. Nihilominus hac in re conclusum nihil; fat enim vero simile est, quod Henricus hæc filiæ suæ unicæ, Regniq̄ue Hæredis nuptias cum Rege Scotiæ haud acceptas habuerit, præsertim cum vix ullum commodum ex ejusmodi connubio perciperet, ac eo tempore nil propius esset, quam ut fœdus cum Gallis iniret; hinc Scotorum opem parum curasse videtur.



INDEX